DISSERTATIONES ACADEMICAE DE ASYLIS HEBRÆORUM, GENTILIUM, ...

Johann Adam Osiander




NAZIONALE
VITT. EMANUELE
13
14 S
6

DISSERTATIONES ACADEMICÆ De ASYLIS HEBRÆORUM, GENTILIUM, CHRISTIANORUM.

editæ

à

JOHANNE ADAMO OSIANDRO, D. & P. P.





TUBINGÆ,
Sumptibus, JOH. GOTTFRIDI ZUBROT, Bibliopolæ Stutgard.
Typis JOH. HENRICI REISI.
MDCLXXIII.

VIRO

Per-Illustri & Generosissimo

DOMINO

WOLFGANGO FORSTNERO,

Cameræ Ducalis Præsidi Laudatissimo.

Patrono æternum devenerando.



Uas benignum Numen duxit Favoris, Gratiæ & Indulgentiæ Lineas, quondã in populo ebræo,

 Ter-

Terrâ ſancta, Eccleſia V. T. paulatîm cæperunt excreſcere & vel præpoſtero Affectu in ſcelera, vel mitioris Animi mollitie in grandioris Licentiæ colores, formas & pigmenta luxuriare. Conſultum enim putabant quidam intempeſtive miſericordes humanæ non dicam infirmitati, ſed libidini, ſi feroces ſtimuli ſanguine etiam reſperſi haberent vaginm quâ tegerētur, Nubem quâ ſeſe involverent, Præſidium, ſub quo crudelitatis fœditas ſenſim vaneſceret, nec Corpori tantum ſubveniri, ſed & animæ, quā aliàs cruciare ſolet diri Conſcientia facti, ſi Flamines, ſi Sacerdotes & qui ſacris operantur reciperent, quos Cœlum deſpicit, terra evomit, Juſtitia in Exemplum Seve-

Severitatis produci & puniri desiderat impiè sibi persuaserunt. Longe aliter divinum Tribunal calculum ponit, Cœli Sceptrum regit, Voluntas summi Imperatoris disponit, quæ unicuiq; reddit secundum opera & Justitiæ gladium distingit in reos, Clementiæ Aurâ reficit infeliciter dejectos. Tres Juvenes religione loquar ad mentem Lusitani Oratoris inclutos intrepidè contempsisse flammas nè fides videretur tepidior, fumo abeunte in Rorem divinæ Gratiæ Indultu, illos vere qui fomenta Igni subdiderunt ardorē vastasse ex Scripturâ accepimus, scilicet innocētes mediis in ignibus Deus custodit, nocentes extra illos potenter adurit, ut com-

mendet erga homines infortunatos amoris flamam, adversus scelera furoris vindictam, secundum illud Veronensis; ubi jactati sunt in fornacem Ignis ardentis hos devote cupidus Ignis excepit: Lambunt roscidos flammæ blandientes, Mira res opacitas intus, incendium foris est; intus hymnus canitur, foris ululatus auditur. Incidi nuper in Scriptores quosdam, quibus placuit præsentis Libelli argumentum operose pertractare, & cum quantum lolii segeti misceatur depreheuderim, zelo correptus sancto intra paucas pagellas quid orthodoxia pronunciet arctare constitui, Tuo verò Nomini illustri destinare, consecrare, gnarus quantum debeam Tuo

nun-

nunquã ſatis laudato in me meosq; Affectui, nõ ut gloriæ vectigalia pro divite Ingenii Cenſu perſolverem, aut græcorum Adulationes & Blandimenta laxatis Calami Velis Infinito, quod mea refugit Tenuitas committerem, ſed ut Mentis gratæ, quæ non ex aurâ captat rumuſculos, aut Umbras virtutum pro corpore, Nubem pro Junone prehendit ſi non ex opibus quas natura voluit intra vel infra mediocritatem conquieſcere, ex argumenti tamen dignitate ponerem perenne monimentum. Si compendioſa facies Scripto, augebit illam amplisſimus ille in me & ſtudia mea Favor; ſi ſtylus quandoq; ex allegatorum maximè Authorum

verbis


verbis horridior rusco, temperabit illum Vultus Tuæ Generositatis amœnior, si audacior justo conatus, qui reum agere posset, defendet Clypeus tuæ protectionis ad ea nitentem, quæ virtus in alto constituit & Asylum erit mihi, quod DEUS & natura contribuit Tuæ Menti, nempe & Justitiæ immixta æquitas, & æquitatis Corona Humanitas.

Exerabam Tubingæ
10. Iunii 1673.

Tuæ Perillustris Generositatis

addictissimus

Joh. Adam Osiander, D.



TRACTATUS
De
ASYLIS HEBRÆORUM.



Uanti sit Sanguis humanus in oculis divinis ipse Deus ostendit in verbo, partim illum, qui effundit temerè, pœnæ subjiciendo, partim innocenti, qui absque dolo occidit cavendo; de priore quidem Gen. IX. hæc leguntur verba: Effundens sanguinem hominis, per hominem Sanguis ejus effundetur. *Quæ verba non per modum prædictionis, sed præcepti esse accipienda, contra Photinianos jam pridem ostenderunt nostri Theologi, utut*

in futuro enuntiata; cùm solemne sit Hebræis Præcepta hoc modo enunciare: quod non tantùm Decalogus docet, sed & verba illa Exod. 21. 12. ubi de Homicida dicitur: Moriendo morietur, *h. e.* interficitor. *De posteriori verò Num. XXXV. Deut. IV. & XIX. nec non Josuæ vigesimo capite. Ex quibus locis delibaturi, quæ ad præsens argumentum faciunt, Deum, qui nostrum* REFUGIUM, *solicitamus, ut adspiret cœptis, & Spiritu suo nos ducat in semita veritatis,*

TH. I.

LOCA, quæ quondam subveniebant Innocentiæ in Populo Judæo, dicta sunt Ebræis עָרֵי מִקְלָט Urbes Receptûs, sive Perfugii. LXX Interpretibus φυγαδεῖα, φυγαδευτήρια, καταφυγαί. Asylorum fit quoque passim mentio apud Scriptores. Ita ἄσυλος τόπος dicitur 2. *Macc.* 4. ἄσυλος γῆ apud Euripi-

ripidem, ἄσυλος τράπεζα apud Synesium Epist. 58. Quanquam verò Covarruvias lib. II. variarum Resolutionum cap. XX. à συρεῖν deductam velit hanc vocem, vix tamen hoc admittendum esse videtur. quum commodiùs derivetur à verbo συλᾶν, rapere, spoliare, violare, cui præfixa particula privativa α, designat vel personam, vel rem vel locum aliquem inviolabilem, inspoliatum & à præda immunem.

II.

Fuerunt autem urbes Confugii BOSOR in solitudine, quæ sita est in terra campestri in Tribu Ruben, & RAMOTH in Galaad, quæ est in tribu Gad; & GOLAN in Basan, quæ est in Tribu Manasse, ut constat ex *Deuter. 4. vers. 43.* nec non CADES in Galilæa Montis Naphtali, & SICHEM in monte Ephrajim & KIRJATH ARBA, sive HEBRON in monte Juda, quod docet locus *Josua c. 20. v. 7.*

III.

Prima itaque Urbs receptûs fuit BOSOR in solitudine, Ebraicè & Chaldaicè dicta בצר Bézer, & notat vel *in Angustia*, ut vult Hieronymus, vel ex rad. בצר Bâzâr, *roborare, turrim munitam*, quod non displicet Chytræo; Græcè Βόσορ, postea à Pœnis dicta est Byrsa, quod fuit Carthaginis nomen, de quo Virgilius I. Æneidos:

- - ingentia cernes
Mœnia, surgentemque novæ Carthaginis arcem,
Mercatique solum facti de nomine Byrsam.

Hieronymus dicit hanc esse *Hostram*, Metropolin Arabiæ; Verùm non legendum esse Hostra sed *Botsra*, ostendit non tantùm locus *Jeremiæ 48.v.24.* sed & Eusebius qui habet Βόσορα. Erat verò ex Civitatibus Levitarum attributa Filiis Merari inferioris conditionis, in illo ordine, ut constat ex *Josua 21. v. 34. 36.* & *1. Par. 6. 77. & 78.* & mentio

tio illius fit *Deuter. 4. verſ. 43. Joſuæ 20. verſ. 6. cap. 21. verſ. 39. 1. Paral. 6. verſ. 78. 1. Maccab. 5. v. 26. 28. 36.* Commendatur præterea à magnitudine & munitione *1. Maccab. 5. v. 26.* Diſtincta à Boſra Idumæorum, de quà *Eſaias 63. v 1.* An autem tertia quædam fuerit in tribu Manaſſe, ut vult Caſpar Sanctius, meritò dubitatur: tum quia Socii religionis Maſius & Caſtrus non niſi duas agnoſcunt; tum quia urbs illa, quæ jungitur Gauloni in Baſan non dicitur Boſra, ſed Botſer, ſed Beheſterah, græcè Βεεσθερὰ, & *1. Paralip. 6. v. 71.* Aſtharoth; tum quia reliqui Interpretes hîc diſcedunt.

IV.

Dicitur hæc Urbs in ſolitudine, quæ ſita ſit in terra compeſtri de Tribu Ruben, videatur *Deuter. capitis 4. v. 43. & Joſua capitis 20. v. 8.* addatur etiam *verſiculus 78. 1. Paralip. cap. 6.* ubi quoque deſcribitur à ſolitudine, in quâ ſita. Editio Sixtina legit βοσὸρ ἐν τῇ ἐρήμῳ τὴν

μισώ, Bosor in deserto Miso, manifesto errore: non enim legitur hæc vox vel in Hebræo textu vel Chaldæo Interprete. 2. Ipsi Græci Codices, Complutenses & Regii illam non habent. 3. Nullum desertum in Scripturis occurrit, quod Miso dicitur, & prorsus, si licet conjicere, deceptus fuit Pontifex voce מישר *Mîschòr*, quæ notat *planitiem*, & legitur *Deut. 4. v. 43.*

V.

Eo ipso autem, quo asseritur, illam sitam fuisse in terra campestri, sive solitudine & planitie, falsum esse deprehenditur quod HUGO voluit, temerè pronuntians, omnes Civitates Confugii in montibus fuisse ædificatas. Nec obstat, quod dicatur *1. Maccab. 1.* munita & magna; cùm etiam tales dentur in plano & eo magis muniantur, attollantur turribus, & mœnibus firmentur, quo magis Solum depressum. Nec dubium Masio, hanc urbem fuisse in planitie Moabitica, juxta illud *Jeremiæ 48. v. 24.*

v. 24. Adveniet Judicium & in Kerijothas, & in Botzram, denique in omnes civitates terræ Moabi in eas, quæ longinquæ & in eas quæ propinquæ sunt. De tribu verò Ruben dicitur, quia in Sorte illius, & cùm nulla fuerit æquè illustris in hac tribu, ideoque hæc electa est in Refugium, utpote magna & ædificata in campestri planitie, ut & facilis esset accessus & conspectus illius amplissimus. Falsum itaque quod sibi finxit Hieronymus, nisi sit Error Librarii, vel memoriæ lapsus scribens: *Bosor in deserto trans Jordanem, quæ cecidit in sortem Tribus Ruben ad Orientalem plagam Hierichûs, civitas Sacerdotalis & fugitivorum*; partim quia nulla Sacerdotalis Urbs fuit in Tribu Ruben, sed omnes & singulæ in tribu Juda & Benjamin; partim, quia ubi mentio fit illarum Urbium Refugii, nunquam laudantur ut Sacerdotales; sed vel simpliciter recensentur, vel ita circumscribuntur, ut Levitarum fuisse facilè deprehendi possit,

VI.

Altera Urbium fuit RAMOTH in Galaad, quæ quibusdam notat *Excelsum*, q. d. Specula; quibusdam *Visionem mortis*: prior etymologia placet Bedæ, utramque jungit Hieronymus. Græcis vocata Ῥαμώθ, vel etiam, Ῥαμμώθ. Josepho Arimanus vel Arimna. Videatur ipse lib. XIV. Antiq. Cap. V. Distincta fuit à *Ramoth in Tribu Issaschar*, de quâ *Josua 19. v. 21.* & *1. Paralip. 6. v. 34. 73.* aliàs dicta Jaramoth. *Josua 21. v. 29.* & ab illâ, quæ in tribu Juda vel Simeonis ad Meridiem. de qua *1. Reg. 30. v. 27.* Dicitur autem cum adposito Ramoth in Galaad, *quæ est in tribu GAD.* Tota quippe Tribus GAD in Galaaditide. Erat Levitica quoque, non Sacerdotalis; ut volunt Eusebius & Hieronymus, hanc quondam Syriæ Reges Belli jure suam fecerunt; ex intentione verò illam recuperandi Achabus vitam amisit. Unctus etiam fuit hîc JEHU in Regem Jisrael, de quo *1. Paralip. 6. 1. Reg. 22.*

2. Pa.

2. *Paralip.* 18. *v.* 22. 2. *Reg.* 8. *v.* 9. hodiè obſcuriſſima, quæ illuſtris quondam & jam tempore Hieronymi & Euſebii vicus ſeu villa juxta flumen Jaboc.

VII.

Tertia fuit GOLAN IN BASAN, quæ in tribu Menaſſe. Variat hoc nomen & modò Golan, nunc Golam, nunc Gaulana, Gaulane, Gaulademan, & Gaulalin dicitur. Quidam volunt notare *transmigrationem*, quidam *volutationem*, quidam *revelatum* ſive *manifeſtum*. Qui cum Hieronymo reſpiciunt ad radicem גלל gâlàl, *volvere*, priorem eligunt ſignificationem: qui verò cum Aria Montano ad rad. גלה gâlâh attendunt, quæ notat diſcooperire & revelare, poſteriorem præferunt. Sunt qui exponunt per *Cumulum*. Græcis dicitur vel Γαυλών vel Γωλάν. Sita fuit hæc in Baſan, regione paſcuis pingui, ubi Oppida Jair; & ab hac denominata fuit tota regio circumjacens *Gaulonitis*. Re-

ctè quoque Adrichomius illam adsignandam esse statuit Levitis. Ab Alexandro Rege Judæorum, teste Josepho lib. XIII. Antiquit. Cap. XXI. de B. J. cap. 4 fuit subacta; nec non postea Regio ipsa, unà cum Trachonitide, Batanea & Paneade ab Herode filio Philippi testamento legata. Degeneravit quoque à pristino Splendore, atque tempore Hieronymi villæ nomine venit, & pertinuit ad dimidiam tribum Menasseh.

VIII.

Hæ Urbes fuerunt I. Phrasi scripturæ trans Jordanem, quum potius dicendum videatur oppositum, nempe cis illud flumen fuisse, cùm in regione fuerint Amorrhæorum, quam ante ingressum in terram Canaan Israelitæ subjugarunt. Verùm cùm dicuntur trans Jordanem sitæ, non hoc ita accipiendum respectu Moysis in Campestribus Moabitarum hærentis & hæc constituentis, sed respectu Populi jam habitantis in

Ca-

Canaan. II. fuerunt ad Orientalem plagam. At hoc iterum videtur repugnare veritati, cum potius ratione regnorum Sihonis & Ogi cis Jordanem fuerint, ad Occidentalem plagam. Sed & hoc facilè diluitur. nam, aut comparantur ad terram Canaan aut ad regna prius commemorata: si primum; utique fuerunt ad Orientalem plagam comparatè scil. ad regionem trans Jordanem, unde etiam dicuntur contra Orientalem plagam Jerichûs *Jos. 20. v. 8.* si verò secundum; non negamus occidentales fuisse has urbes. Omnem verò *ἐναντιοφανείαν* diversitas respectûs tollit. III. dicuntur fuisse de tribu Ruben, in tribu Gad & in tribu Manasse, quod non ita accipiendum ratione finis, quasi Bosor destinata fuisset tantùm fugitivis Rubenitis, Ramoth Gaditis, Golan Manassæis, quò quidem vergit LXX Interpretum minus accurata Versio: sed ratione Sitûs & loci, in quo unaquæque harum fuit ædificata, ut observant Interpretes.

IX.

Nec tribus his acquievit benignum Numen, ſed tres alias addidit in terra Canaan, quarum prima CADES IN GALILÆA Montis Naphtali, & SICHEM IN MONTE EPHRAJIM & KIRIATH ARBA, in monte Juda, ut non tantum conſtat ex *Num. 35. v. 14.* ſed & *Joſua 20. v. 7.*

X.

Prima itaque fuit KEDES קֶדֶשׁ *Sanctitas,* LXX habent ΚΑΔΕΣ. Fuit autem hæc Urbs Levitica, non Sacerdotalis, ut voluerunt Euſebius & Hieronymus; magna & munita, ob agri adjacentis Ubertatem nullis non rebus abundans, Joſepho dicta Cadeſa, alias Seſecha & Tarſa vocata; diſtincta ab illa quæ erat in Tribu Iſaſchar: quanquam & hæc Levitarum fuerit. *1. Paral. 6. v. 72.* & ab alia ejusd. nominis in Tribu Judæ, cujus ſit mentio *Joſua 15. v. 23.* ſita in Galilæa, & ita, ut conformiter

Scri-

Scripturæ vult Hieronymus, ſuper montem Nephtalim, quæ illius tempore Cidiſſus appellabatur in viceſimo Tyri milliario juxta Paneadem.

XI.

Secunda fuit SICHEM in monte Ephrajim שכם *portio* vel *humerus terræ.* Unde quando *Gen. 48.* legitur: *Do tibi partem unam*, in ebræo eſt: ואני נתתי לך שכם אחד על אחיך LXX. legunt Σιχέμ: Qui putant Sichem notare non tam partem, quàm humerum; exiſtimant reſpici ad elevationem hujus urbis, quum ſita fuerit in Monte Ephrajim, & Garizim atque Hebal eidem imminuerint; Quanquam alii contra Melanchthonem dictam eſſe volunt à Sichem Filio Hemor; tempore Chriſti corruptè vocabatur *Sichar*; itidem Levitica; quam Euſebius & Hieronymus diſtinguunt ab alia Synonyma in Tribu Manaſſe, in qua Oſſa Joſephi ſepulta ſint; ſed fruſtra: quùm ipſi agnoſcant ſitam fuiſſe hanc urbem in Monte Ephrajim, & in præ-

prædio suburbano illius condita fuerint ossa Josephi, ut constat ex *Josua 24. v. 31.* excisa quidem fuit ab Abimelecho *Judic. 9.* restituta verò à Jeroboamo, qui ibidem sedem fixit Regiam *1. Reg. 12. v. 25.* à postrema restauratione vocata est *Neapolis*, quam & Matortham ab indigenis adpellatam scribit Josephus; nunc verò dicitur, *Pélosa* seu *Napólosa*. Nontamen dissimulandum Neapolin distingui & aliquantum loco sejungi à Sichem secundum Hieronymum, Breidenbachium & Adrichomium.

XII.

Tertia fuit KIRJATH-ARBA, in monte Juda, in Hebræo קרית ארבע *Civitas quadruplex*, secundùm Hieronymum. LXX. ἀρβό habent. Quam Hieronymus statuit sic dictam à quatuor Patriarchis Abraham, Isaac, Jacob & Adamo ibidem sepultis. At hæc sententia se ipsam conficit. Si enim Adam con-

conditus fuit in loco Calvariæ, ut quidem non abnuunt illi, non potuit sepultus esse in Ebron; cùm ultra sex milliaria hæc dissita fuerit ab urbe Hierosolyma. II. Dicta fuit hæc Urbs *Ciriath-arba* tempore jam Abrahami. Quomodo autem de Sepultura Abrahami, Isaaci & Jahacobi, qui sanè illo nondum sepulti? III. Si ponamus, ita dictam appellativè τετράπολιν, num cōfestim concludi poterit; ergò propter illos Adamum, Abrahamum, Isaacum & Jacobum ibidem sepultos ita vocata est?; erunt alii, quicum Rabbinis hoc referant ad Sepulturam quatuor Gigantum Enak, Schelchai, Ahiman, Thalmai, de quibus *Josua 15. vers. 13. & 14.* Erunt, qui ex quatuor partibus, in quas divisa hæc Civitas etymologicè explicabunt. Erunt qui ad habitationem quatuor illustrium virorum referent, Aner sc. Escol, Mambre & Abrahami; vel tandem ad Feminas celebres, Evam, Saram, Rebeccam & Liam ibidem sepultas.

pultas Imò verisimile quibusdam duodecim Patriarchas Hebrone sepultas. Commodiùs itaque loquuntur, qui Ciriath-Arbe exponunt *Civitatem Arbe*, qui Pater fuit *Hanaki*, famosissimi Gigantum Patriarchæ, de quo posteri omnes Gigantes *Hanakitæ* adpellati sunt. Dicta fuit alias quoque *Chebron* à Chebron, nepote Calebi; & fuit Urbs Sacerdotalis, ut docet libri *Josua caput 21. v. 10. & 11.* antiquissima terræ Chanaan; condita quippè septem annis ante Tanim Ægypti Urbem; sita, ut Benjamin Tudelensis ostendit, in Monte: in valle verò ager fuit, in quo מכפלה *Duplicitas* h. e gemina veluti vallicula, ubi monumenta antiquæ domus Patris Abrahæ adhuc extitisse, & fontem ante illam scaturire adserit. Episcopalem fuisse sedem, cùm Latini terram sanctam occupassent, statuit Adrichomius, cujus Episcopatus titulum usurpet nunc sibi suffraganeus Episcopi Trajectensis; ornasse etiam locum antea Helenam,

Con-

Constantini Matrem, Templo splendidissimo ibidem extructo.

XIII.

An autem hic numerus fuerit fixus, ut nullæ fuerint superadditæ, non adeò certum est inter Doctores. Quidam existimant inhærendum præcisè Senario: idque ideò, quia talium determinatè semper fit mentio, vel ratione distributionis in tres transjordanas, & tres Cisjordanas, vel ratione numerationis specificæ, ut videre est *Numer. 35. vers. 13. & 14. Deuter 4. vers. 41. 42. 43. Josuæ 20. vers. 7. & 8.* Quidam volunt, novem fuisse in universum, tres. sc. trans Jordanem, tres citra Jordanem, & tres in terra versus Euphraten expugnanda. Disertè enim dicitur *Deuter. 29. vers. 8. & 9. Cum dilataverit Dominus DEUS tuus terminos tuos, quemadmodum juramento promisit majoribus tuis, & dederit tibi totam illam terram, quam promisit, se daturum majoribus tuis; Siquidem obser-*

vcs

res totum præceptum hoc, faciendo illud quod ego præcipio tibi hodie, diligendo Jehovam DEUM tuum & ambulando per vias ejus omnibus diebus: tum adjicies tibi amplius tres civitates ad tres istas. Imò sunt qui putant, omnes urbes Leviticas, quarum in universum XLVIII. inclusis sex recensitis Jure Asyli gavisas fuisse, cum *Josuæ 21. vers. 1.* quinque numerentur Urbes Confugii in sola Tribu Ephrajim, & duæ aliæ in Tribu Manasse trans Jordanem *versic. 27.* tres in Tribu Naphtali *versic. 35.* quatuor vel quinque in Tribu GAD. unde colligunt de reliquis etiam Urbibus, utut non addatur vox Confugii, esse id intelligendum. adde *1. Paral. 7. vers. 57. & 67.*

XIV.

Prima sententia nititur authoritate Scripturæ, cui tamen secunda, si dextrè explicetur, non repugnat. Aut enim intelligitur de numero actu extiturarum Urbium in tractu terræ occupandæ absolutè,

ſolutè, aut de numero Urbium conſti- tuendarum, ſuppoſita conditione dila- tationis ad Euphraten & Mare rubrum. Si prius: ſtatuendum eſſe cenſemus ſex tantum fuiſſe, tres cis ac totidem trans Jordanem Urbes; tum quia nulla ad- ditio unquam legitur facta, nulla no- mina occurrunt trium additarum Urbi- um. apertè verò Senarius determinatur *Joſ. 20. verſ. 7. 8.* tum quia Iſraelitarum fines nunquam ita fuerunt dilatati, ut attigerint Euphraten habitando extra cisjordaninam & transjordanam regio- nem à Joſua ipſis adſignatam in terra flumini celeberrimo vicina; tum quia locus ille *Deuteron. 19.* nondum vide- tur eſſe ita liquidus, ut ſtabiliat opinio- nem Novenarii. Sunt enim interpre- tes qui eum accipiunt, non de additione trium extra transjordanam regionem ſed de trium illarum in regione trans- jordanenſi comparatè ad cisjordanas, jam conſtitutas, & demum poſt tranſi- tum addendas, quo pacto tantùm fuiſſe

tres

tres citimas & tres ultra amnem concludendum erit.

XV.

Verùm concesso quòd agatur de aliis Urbibus extra hunc numerum, ut quidem concedimus, non erit evictum, actu illas additas fuisse sex Prioribus: quia sub conditione tantùm designatur ille numerus non tantum dilatationis sed & observationis mandatorum, quæ, cum defecerit in Israëlitis, etiam id quod superstructum fuit, non fuisse impletum, facilè colligitur. Unde etiam ex Patribus Ambrosius lib. de fuga seculi, cap. II. nec pauciores nec plures fuisse asserit assignatas quàm sex; ex Pontificiis Alphonsus Tostatus, non difficile esse dici, omnes Urbes refugii fuisse solùm sex apertè fatetur; & ex Recutitis RaMBaM *Tom. IV. Tract. de Legibus & Bellis cap. XI.* nunquam factum esse, nec præcepisse DEUM B. quicquam frustra, expressè statuit. Si posterius, textus est evidens, nec non Paraphrasis Judæorum, Pontificiorum & Orthodoxorum.

rum. Rabbi enim Solomon admitti tria in futurum ex hoc Textu, cui consonant Nicolai Lyræ & Dionysii Carthusiani exegeses, nec non B. nostri Brentî & Proavi, qui omninò hîc videndus; nec abnuunt Calviniani Drusius, Piscator & alii.

XVI.

Nondum tamen omnis difficultas sublata. Nam quum conditio dilatationis fuerit adimpleta, tempore Davidis & Solomonis ad minimum tunc tres fuisse adjectas, concludendum videtur; quid quod quidam hanc Dilatationem non accipiunt de illa, quæ porrigere se debuit usque ad Euphraten, sed de illa, quæ intra terminos Canaan facta, sensim excindendo incolas, quos uno impetu nec sternere poterant, nec debebant, juxta illud *Deut. 7. v. 22.* At si primò dilatatio hæc facta fuit sub Regibus felicibus, Bello & pace inclytis, Davide scil. & Solomone, cur quæso ne vestigium additarum trium Urbium Confugii?



gii? *Secundò*; dilatatio facta sub Davide & Solomone, non fuit *possessionis* sed *subjectionis*: non enim David, & Solomon gentes vicinas devictas solo expulerunt, coloniis ex habitato à Judæis, eò deductis, sed subjugarunt & tributa imposuerunt. An enimunquam Syriam occuparunt hi Reges, ut ejectis incolis ibidem sedem fixerint Israëlitæ? *Tertiò*, dilatationem illam esse accipiendam, non de illa, quæ intra fines terræ Canaan, sed eam quæ extra eam est, exinde constare potest, quia actu nunquam extiterunt illæ Urbes Refugii in terra Canaan, quæ existere tamen debuissent, si conditio dilatationis respiceret terram Canaan, ut argumenta supra adducta evincunt; & dilatationem illam ultra fines Cananæorum esse extendendam in circumjacentes regiones & Euphrate terminatas luculenter promissiones divinæ ostendunt *Gen. 15. vers. 18. Exod. 23. vers. 31. Deuteron. 1. vers. 7. & cap. 11, v. 27.* quod etiam observa-

vit

vit Hieronymus *in Epist. 129.* ad Dardanum. Unde non subscribimus R. Salomoni, in quantum asserit, actu contigisse, ut Urbes illæ designarentur, nec Dionysio Carthusiano, in quantum refert hoc ad tempora Davidis & Solomonis, nec Kimchio illis ὁμοψύβῳ.

XVII.

Huc referimus illa Grotii: *Et in tres æqualiter partes totam Terræ tuæ Provinciam divides] In Hebræo: Tripartieris terminum terræ tuæ. Græcè, τριμερεῖς τὰ ὅρια τῆς γῆς σου. Erant hæc oppida medio itinere à finibus terræ ad meditullium. Tres autem intellige, in terra quæ tunc ipsis erat transjordanem. Nam cis jordanem aliæ tres itidem erant, quanquam in minore terræ spatio, ut apparet Num 35. v. 14. Causam adferunt Hebræi quòd crebriora illic homicidia ob ferociam Galaaditarum. Vide Iud. 10. & 11. & Oseam 6. v, 8.*

XVIII.

Illa autem Opinio, quæ Urbes XLVIII.

XLVIII. Levitarum vult fuisse Asyla fundo caret. Quanquam enim videatur favere *Cap. Josua 21.* penitiùs tamen inspectum nihil confert huic sententiæ. Nam *primò*, posito omnes Urbes Leviticas dici ibidem Urbes Confugii, nondum tamen est consequens omnes propterea habuisse Jus Asyli. Potuerunt enim dici Urbes Confugii alio sensu, ut sc. quis in illas reciperet se pressus vel mentis scrupulo vel adversarii cujusdam potentia, ut ibidem vel consilio vel auxilio eidem subveniretur; *Secundò*; quamvis nolumus negare vocem מקלט esse emphaticam, nec generali tantùm Receptus nomine accipiendam, nihilominus nondum confectum erit negotium. Nam *Josua 21.* in Hebræo non habetur ערי מקלט ArêMiklât, *Vrbes Refugii* in plurali, sed in singulari עיר & refertur hæc vox ad urbem tantùm illam proximam, quæ nominatur e. g. *in versic. 21.* ad Sichem *in versic. 27.* ad Golan, & sic consequenter. Unde potiùs senten-

tentia recepta de ſex Urbibus Aſylis, tantùm exiſtentibus in terra Canaan ſtabilitur, & hoc Jus ad illas reſtringendum eſſe colligitur, vitiumque Vulgatæ Verſionis luculenter deprehenditur, quo quidem modo etiam exponitur locus *ex I. Paralip. ſeptimo* adductus. *Tertiò*; ita circumſcribuntur illæ Urbes Aſyli, tum ratione numeri, tum ratione diſtantiæ, tum ratione viarum, ut attendenti facilè conſtet, illas ſolas hoc privilegio, hoc Jure fuiſſe præ cæteris omnibus gaviſas.

XIX.

Nullum itaque præſidium in Scripturis. Rabbinorum autem num ſubveniant copiæ illis, qui privilegium hoc tam latè extendunt diſputari poteſt. Sanè Majemonides ex veteribus confidenter affirmat, Univerſas Urbes Levitarum fuiſſe Urbes Refugii, nullam fuiſſe, quæ non hoc gaviſa fuerit privilegio. *Nam*, inquit, *& in lege dicitur, Vltra has dabitis quoque 42. civitates, ut*

scil. omnes civitates, sint 48. Civitates, ita pares facit Scriptura universas simul sibi invicem, quantum ad Refugii seu Asyli jus. An autem hoc commentum Rabbinicum sit satis liquidum & certum, meritò dubitatur. Nam, ut supra ostensum, præter sex illas nullius fit mentio alibi. *Secundò* testimonium, quo nititur Majemonides infirmum est; nec verba sonant, quod vult Rabbinorum ΑΛΦΑ. non dicitur *Num. 35. v. 6.* & ultra dabitis quadraginta Civitates, ut sint Asyla, sed, *de ipsis oppidis, quæ Levitis dabitis, sex erunt in fugitivorum auxilia separata, ut fugiat ad ea qui fuderit sanguinem*, & exceptis his alia quadraginta duo, quæ cedant Levitis. *Tertiò*; Si indulgeamus hîc aliquid Rabbinicæ fidei, distinguendum erit inter Civitates, quæ Jus Asyli habuerunt strictè & latè; nec, si quocunq; modo participarunt Urbes Leviticæ reliquæ, inter Asyla ordinaria erunt computandæ; id quod ipsi Hebræi observant, qui VI. illas

las urbes talia fuiſſe aſyla adſerunt, ut nefas fuerit Vindici ſanguinis ibidem homicidam occidere; cæteras verò potuiſſe quidem recipere fugitivum, excludere tamen quoque pro Arbitrio. Diſertè Majemonides: *Diſcrimen inter Vrbes refugii eo nomine ſignantiùs adſignatas & reliquas Levitarum Vrbes erat hujusmodi, ut ſcil. illæ Jure Aſyli gauderent, ſive vellent ſive nollent incolæ: adeò ut ſimulac ingrederetur, in earum aliquam homicida, tutus eſſet; hæ verò non niſi vellent incolæ, ſed pro earum arbitrio.* Addunt, Homicidam in Urbium aliqua ſignantiùs refugii cauſa adſignatarum, Domicilium absque mercede habuiſſe, in cæteris verò Domino ædium mercedem ab eo fuiſſe ſolvendam.

XX.

Vidimus Numerum, pergimus ad *Tempus*, quod ſignant loca *Deuteronomii 4. v. 41. cap. 19. v. 1. & 2.* & tandem *Joſuæ 20. v. 1. 2. 7. 8.* ex quibus conſtat tres

tres cisamnanas fuisse ab ipso Mose circa finem vitæ separatas, tres itidem transjordaninas à Josua, qui ingressus terram sanctam post occupationem illius. Quanquam enim *Josua 20.* dicatur demum: *Separate Vrbes fugitivorum*, versiculo secundo, septimo & octavo recenseatur executio, quòd sc. decreverint tres cis & totidem transjordanem; evidens tamen est ex loco *Deuter. 4. v. 41.* jam tempore Mosis fuisse transjordanicas, utut in Hebræo legatur verbum futuri temporis יבדיל & pariter apud *Chaldæum*, cùm possit habere significationem præteriti vel imperfecti, vel perfecti. nec enim est insolitum, vocem אז in verbis convertere temporis significationem, ut ex Aben-Esra docet Buxtorf Thesaur. Lib. II. cap. XIX. Unde etiam LXX. Interpretes usi fuerunt verbo ἀφώρισε.

Verba autem *Josua 20. cap.* non obstant. Nam, vel cum B. Proavo dicendum à Mose fuisse designatas has Urbes; à Jo-

à Josua verò illas constitutas, & ab Israelitis consecratas in Asyla homicidarum, quem juvat Textus Hebræus; dicitur enim, *Israelitas sanctificasse Kedes in Galilæa &c.* vel Urbes cisjordaninas fuisse à Mose quidem constitutas, sed à Josua confirmatas; vel denique perfectam secutam esse Urbium harum Collectionem, atque Civitatibus cisamnanis additas fuisse à Josua transjordanenses tres; adeoque tum temporis completum fuisse numerum juxta voluntatem divinam terra jam divisa per sortes, & unicuique Tribui sua assignata sede. Disputari quoque potest hîc, num prius fuerint Urbes fugitivorum separatæ, an verò Levitarum: prius colligi videtur ex *Numer. cap. 35. v. 2. & 6.* Verisimilius quidam putant, priùs fugitivorum urbes separatas, ex *Josua 20. & sequenti Capite*, ubi historica relatio eò duxit hærentes.

XXI.

Quæri insuper solet, nũ ante Reipubl.

Judaicæ formam & populi electi introductionem in cisjordanam & transjordanam Regionem nullum fuerit Asylum, cùm tamen credibile nullum fuisse commissum homicidium, cui non subveniri debuerit benigno aliquo medio. De anterioribus temporibus & egressu Israelitarum ex Ægypto nihil constat. In deserto tamen, cùm multitudo populi oberraret, & tabernaculum jam extructum Altare fuisse colligitur *primò* ex *Exod. 21. v. 13. & 14.* dicitur enim satis clarè: *Si quis non quaesiverit quemquam, sed DEUS, ipse objecerit manui ejus, constituam tibi locum quò confugiat. Quum autem quis arrogaverit contra proximum suum occidere eum astu, etiam ab altari meo rapito eum ad mortem.*

Hîc Deus in futurum prospicit, & promittit se constituturum locum in quem fugere debeat homicida, de præsenti autem sanxit, fore Asylum occisori Altare; neque enim avelli potuisset

ab

ab altari dolosus homicida, nisi supponeretur fuisse illud locum Confugii illo tempore pro non dolosis, non avellendis proinde ab illo. *Secundò*; Si jam constitutis Urbibus Refugii, Altare adhuc retinuit jus Asyli, colligi poterit quamprimum illud extructum fuit, DEUM hoc privilegio illud ornasse. Antecedens autem constat ex *2. Regum. 2. v. 28.* ubi JOAB dicitur fugisse in tabernaculum Domini & adprehendisse cornu Altaris. quò sanè non confugisset, nisi eò fugere etiam consuetum fuisset, vel sperasset à loco aliquam immunitatem; nec Benajas scrupulo aliquo fuisset retardatus ab interfectione illius, secundùm Mandatum Regis, nisi in ea quoq; sentẽtia fuisset, locum esse sanctũ & aliquando præstare posse tutamen eò confugientibus. *Tertiò*; ipsi RR. agnoscunt hoc Jus obtinuisse in Altari; quanquam videantur nimiùm extendere, dum etiam Castra Levitarum hoc privilegio gavisa fuisse statuunt.

XXII.

Utut autem ita probabiliter disputari possit, non tamen desunt rationes in oppositum. Nam *primò*, cum Deus sufficienter prospexerit populo Confugii Urbibus, sitis commodo loco, distributis per omnem Regionem, viis ad illud ducentibus complanatis, ut facilè quilibet undiquaque ad earum aliquam potuerit cõfugere, non videtur opus fuisse ut hoc jure ornaret Altare aut Templum; neque si fuissent, Asylum commodum fuissent illis, qui extra Hierosolymam, dissiti ab Urbe habitarunt; nec, vel Tabernaculum vel Templum adeò amplum erat, ut sufficeret homicidarum recipiendorum Multitudini. *Secundò*; quia disertè præceptum, ut involuntarii homicidæ, postquam apud judices suæ civitatis innocentiam suam probassent, remitterentur ad Urbem, ad quam confugerunt, & manerent ibidem usque ad summi Sacerdotis obitum. Num verò credibile, confugam hæ-

hæsisse in Templo apud Altare tam diu, non ausum fuisse egredi, aut cæteros potuisse aut debuisse in Officio sacro remorari. *Tertiò*; occisione pollutio & immundities aliqua contrahebatur, ut constat ex *Numer. 35.* qua non modò ingredi Sanctuarium, sed etiam propè accedere prohibitum.

Nolumus quidem morosè refragari huic Sententiæ: rationes tamen adductæ quomodo solidè concludant, nondum videmus. Prima enim non urget; quia DEUS non tantùm non deficit in necessariis, sed quandoque etiam liberalem se exhibet in abundantibus: neque si Oculus unus sufficit ad videndum, alter censendus erit superfluus: præterea, si multum concluditur, hoc obtinetur, constitutis jam Urbibus Confugii, non fuisse Templum aut Altare Asylum: quid verò fiet de populo oberrante adhuc in Deserto, nec nisi Tabernaculum & Altare habente? denique etsi diffitis non profuerit; tamen In-

Incolis Urbis populosissimæ in tali casu conduxit. Secunda quoque Ratio non stringit. Nam, quæ lex producitur, agit de illis, qui in Templo vel Altari aliquod præsidium quæsiverant; nec probabile illos debuisse manere intra Templi septa usque ad mortem summi Pontificis; sed extemporali hoc Remedio fuisse usos, dispiciente deindè Collegio Sapientum, quid de talibus fieri oporteret. Præterea potuerunt involuntarii Homicidæ eò confugere, & postea cognita caussa ad Urbium aliquam Refugii remitti, ut in illa manerent ad præfixum â DEO terminum. *Tertiò*; quod de involuntariis homicidis dicitur, nondum liquidum esse censemus. Neque enim illi fuerunt immunditia aliqua conspersi, sed voluntarii, vi loci *Num. 35.* ubi dicitur *hanc maculam non abstergi nisi sanguine illius qui sanguinem fudit.* & cum dissentientes admittant de facto & ex consuetudine servatam fuisse immunitatem planum

est

eſt illud confugientes fuiſſe ingreſſos, nec à Sacerdotibus fuiſſe excluſos.

XXIII.

De Modo vario harum Urbium quoque diſpiciendum, & quidem I. quantum ad Conſtitutionem, dicitur *Numeror. 35. verſ. 11. Decernite, quæ urbes eſſe debeant.* Quod quidam, attendentes ad verbum קָרָה *Kêrâh*, reddiderunt *contignate, facite ut tigna coaptentur, coagmententur.* cùm vox קוֹרָה aliâs quoque tignum aut trabem notet. Quidam commodiùs, quanquam barbarè, reddunt *Urbificate*, *Civitificate*, cùm vox קִרְיָה notet quoque Civitatem.

Et ſeparandæ quidem erant hæ Urbes transjordanenſes in medio terræ; non quaſi medium Mathematicum vel Phyſicum debuerint obtinere, quod neque cum deſcriptione convenit, nec fugitivis fuiſſet commodum: ſed phraſi hebræa *intra terram* ſcil. transjordanenſem, quam DEUS diſperſis gentibus traditurus erat. Præterea ita erant ſi-

tæ ut æquali ſpatio diſtarent. *Devt.19.v. 3.& 7.* non nimiùm vicinæ, nec nimiùm ſtantes, ut ex omni parte pateret aditus, & commodè cõfugere eò poſſet Percuſſor; neq; tantum ita per proportionem diſtabat una pars illarum, ſed utraque, tũ cisjordanina tum transjordanina; imò ipſæ hæ quoq; urbes cis & trans Jordanẽ inter ſe, ut poſſet, aliquis homicida, qui cis jordanem, fugere ad trans jordanenſem & viciſſim. Unde Fagius ex RR. refert, has Civitates æquali ſpatio ab invicem fuiſſe diſſitas, ita ut æquale ſpatium à Meridie Hebron. & ab Hebron ad Sichem à Sichem ad Cadeſch, à Cadeſch ad Aquilonem. Et quamvis ſuprà notaverimus, non omnes fuiſſe montanas: pleræque tamen excelſis eminuerunt locis, ut eſſent inſtar Phari, & eminus videri poſſent.

Secundò, quantùm ad Acceſſus præparationem, dicitur *Deuter. 19. verſ. 3. Sternes diligenter viam*, ne ullum eſſet obſtaculum, quod fugitivum moraretur,

tur, & fuga facilitaretur. In Ebræo habetur vox חכן quæ notat aptari, diſponi, rectificari, in Niphal, & à cognato themate כון *firmari*; unde nomē Columnæ Tēpli Solomonici, יכין *Jachin*, à robore vel firmitate. LXX Interpretes habent *στοχάσαισοι*, quaſi diceres, cōjecta; quamvis *στοχὰς* & *στοχασμὸς* ſit Polluci ſtrues ex materia aut lapidibus ad æquanda loca concava & inæqualia, in quibus tenduntur ipſæ plagæ ſive retia. Unde quidā volunt *στόχασαι* hoc loco idem eſſe, quod reddere viam æqualem. An autem via ſolùm complananda, an verò etiam lapidibus ſternenda, nondum definitum eſt in Senatu eruditorum. prius placet Epiſcopio, qui ſcribit: *Itinera ad has Urbes ducentia complanari Deus voluit, ut homicidæ innoxio, facilis ac tuta eſſet etiam in hyeme fuga, & ubique obvium refugium.* quò vergit quoque Commentarius B. Proavi. Poſterius aliis, qui exiſtimant, cùm optimus modus viam firmandi ſit per lapides ſtratos, DEUM hunc

hunc innuisse. Quanquam autem verbum Hebræum notet quoque *firmare*, & ad viæ æqualitatem plurimum conferat ut sternatur; unde celebres ab Urbe Roma per longissima spatia stratæ viæ, Appia, Flaminia, Æmilia, Latina, Vaticana, Aurelia &c. cùm tamen generaliter accipi possit Verbum Hebræum, de dispositione, aptatione & directione viæ; malumus in generali ratione acquiescere, quàm ad specialem citra testimonia Scripturæ descendere.

Aliàs verò ut omnia facilitati itineris subservirent Hebræi, in viarum interstitiis aut divergiis stipites fuisse erectos, in quibus scriptum ac benè magnis characteribus exaratum conspici potuerit מִקְלָט Miqulâth q. d. Refugium; nè in fugiendo uspiam aut hæreret aut erraret innoxiæ cædis auctor, & dirigeretur eò commodiùs ad Civitatem, in qua tutus latere poterat, observant. Quò etiam facit, si verum quod Hebræi produnt, quòd fugienti homicidæ

cidæ duo aut tres adhibiti fuerunt Sapientes, qui adversarium sanguinis Vindicem, si fortè in itinere occurreret blandis verbis & admonitionibus arcerent, ne quid violentius nondum caussa discussa in homicidam conaretur.

Tertiò; si Fagio Fides, oportuit illas Urbes ad commoditatem commorandi non nimis esse parvas, ne deficerent victui necessaria, nec etiam nimis magnas, ne fortè per frequentiam hominum eò confluentium, ut fit in magnis urbibus Vindex sanguinis, propinqui scilicet occisi, urbem non observatus intraret, atque fugitivo ibi exsulanti insidias strueret: sed urbes debuisse esse mediocres, statuit easdem oportuisse esse in loco, in quo erat aquarum copia, sin minus aliundè aqua adducebatur. Fuisse eas in loco ubi sæpius nundinæ haberentur. quo eò facilius potuerint haberi cibaria, & reliqua necessaria, si opus fuisset, ut in vicinia multi pagi essent ad arcendum adversarium, si forte stipatus exercitu

citu veniens, vi vellet urbem ingredi & occidere homicidam; si civitas refugii destituta esset civibus & incolis, aliunde Sacerdotes, Levitas & Israëlitas fuisse accersitos, nec licuisse in hujusmodi civitatibus parare arma bellica, nec venatoria, nec retia, nec funes, aut aliquid tale, ne vindex sanguinis sub prætextu aliquid emendi in urbem veniret, atque ita homicidam opprimeret; denique necesse fuisse, cives urbis refugii homicidæ venienti parare aliquod artificium, quo vitæ necessaria sibi comparare posset, id quod colligunt ex verbis *vers. 4.* Hâc verò de causâ, homicida illuc fugere debet, ut vivat, h. e. præparetur ei, unde victum habere possit.

XXIV.

Si verò progrediamur & quæramus, *quibus fuerint hæ Urbes constitutæ, quorum Bono fuerint in Republica Judaica hoc jure dotatæ*, liquida erit ex sacris responsio. Nam *Num. 35. v. 11.* dicitur:

De-

Decernite quæ Urbes esse debeant in præsidia fugitivorum, qui nolentes sanguinem fuderunt.

In Ebræo & Chaldæo legitur בשגגה Bischgâg'âh. LXX Interpretes, habent ἀκουσίως, *involuntariè.* Consimiliter *Deut. 19. v. 4.* determinatur Subjectum quod hoc Privilegio dignum. Verba textûs ita sonant: *Qui percusserit proximum suum nesciens, & qui heri & nudius tertius nullum contra eum odium habuisse comprobatur*, & subjicitur exemplum *vers. 5.* In Ebræo legitur בבלי דעת bisβli dáath, *in non*, sive *sine scientia.* LXX iterum ἀκουσίως usurpant. Optimè autem hæc verba exposuit B. Proavus scribens p. 262. *Hæc erit Lex, Hebræi homicidæ fugientis, cujus vita servanda est. i. e. Si quis velit gaudere eo Urbis privilegio, necesse est, ut ejus causa ad infra scriptum modum sese habeat: nimirum qui percusserit, seu interfecerit, proximum suum nesciens i. e. non data opera, sed fortuito casu.* Denique *Josua*

sua 20. v. 3. dicitur, *ut confugiat ad Urbes refugij, quicunque animam percusserit nesciens.* in Hebræo iterum בשגגה in ignorantia, & apud LXX. ἀκουσίως.

XXV.

Non itaque Securitas ulla erat voluntariis Homicidis à Deo concessa, neque in Urbibus præsidium, sed potius Lex Divina in oppositum disponebat, ut dolosus homicida ab altari avelleretur ad mortem. *Exod. 21. vers. 12. & 14.* & qui ferro percussisset, vel lapidem jecisset, vel ligno læsisset, subjiciebatur Vindicis propinqui occisi potestati, ut & qui per odium occidisset, ut constat ex *Num. 35. vers. 16. 17. 18. 19. 20. 21.* imò Joabus geminæ cædis reus, utut confugisset ad altare & sibi spem quandam fecerit, nihilominus tamen occisus fuit *1. Reg. 2. v. 28.*

Nec II. constituta erant asyla crimine aliquo alio contaminatis furibus sc. adulteris & istiusmodi furfuris hominibus; imò si quis etiam hîc per necessitatem

ſitatem vel Errorem peccaſſet, non tamen Urbs receptûs eidem ſubveniebat: e. gr. ſi quis in paupertate extrema, vel gravi, aut extremæ proxima aliquid ſubduxiſſet alieni, vel rem habuiſſet cum aliqua, quam ignorabat alteri vel deſponſatam vel maritatam, non patebat illi Urbium prædictarum ulla; idque ideò, quia poterat differri negotium & diſcuti in judicio, nec præſens erat periculum, ut in homicidio à Vindice ſanguinis, cujus manibus & menti exacerbatæ hac ratione fuit ſubmovendus.

III. Non erant Aſyla in ſubſidium illis, qui voluntariè quidem occidiſſent, ſed ſub moderamine inculpatæ tutelæ, defendendo & vim vi repellendo. Quanquam enim quidam cenſeant, & illos receptaſſe urbes refugii, quia privilegia dilatanda, hoc tamen diſcrimine, quòd non expectata Pontificis morte liberum fuerit tali ſe ipſum defendenti abire quocunque vellet, modo cauſſa fuiſſet

fuisset ventilata & judicum sententia fuisset absolutus istiusmodi percussor: destituitur tamen hæc sententia solido aliquo ex Scripturis argumento. *Secundò;* eo ipso quo Urbes Confugii ita constitutæ sint, ut homicida maneat intra illarum aliquam ad mortem usque Pontificis, mera censenda erit hariolatio illa de casu necessariæ defensionis, & libera abeundi facultate. *Tertiò;* si aliquid hîc indulgendum Analogiæ, non tamen concludendum erit, illis, qui defendendo sese alios occidebant, universaliter Jus habuisse Asyli, vel potius debuisse confugere ad Urbes Miklât; sed illos tantùm, de quorum defensione inculpata nondum constabat, ut propterea ipsis quoque idem periculum incubuerit; aliam verò rationem fuisse, nec opus fuga, sicubi notoriè vel manifestè homicidium commissum ex casu meræ ac subidæ defensionis.

XXVI.

Dubium tamen hîc occurrit, quod discu-

discutiendum antequam ad alia progrediamur, quomodo Adonia confugerit & tenuerit cornua Altaris, si tantum in Homicidii Casu licuit vel ad Aram vel ad Urbem aliquam confugere, de quo *1. Reg. 1. v. 5.* Verùm existimamus intendisse Adoniam mortem Salomoni & Matri illius cùm unum Regnum duos Reges, unus mundus duos soles ferre nequivisset & ita hic conatus, hæc molitio, circa Augustum fuerit instar Homicidii, quod etiam non obscurè significavit Bathseba cùm dixit *vers. 21. Erit cum dormierit Dominus meus cum Pp. suis, ut sim ego & filius meus Solomō peccatores.* Secundò notum est, quid in Naufragio contingat, quomodo vel hæc vel illa tabula prehendatur in Consternatione, sive conducat sive non. sanè territus Adonias potuit se convertere etiam ad id, quod non destinatum, quod etiam non conducibile, nisi illis, qui sanguine se contaminassent. Tertiò, ut non dicamus non omninò liquidum & apodicticè cer-

certum Templum & Aram profuisse refugis, de quo in sequentibus, notant quidam Adoniam prehendisse cornua altaris, non ut tutus esset, donec de causa cognosceretur, sed ut misericordiam imploraret ob Numinis Reverentiam. De ipso etiam Altari controvertitur, de quo *Petrus Martyr Vermilius* scribit: *Aliqui sentiunt hoc altare Hierosolymis fuisse, nimirum in area Araunáh. Sed alii opinantur illum abiisse in Gibehón, ubi Mosaicum tabernaculum erat, & ordinarium ministerium. Duplex altare olim fuit, unum holocaustorum, alterum verò suffitus. Verùm ad hoc posterius tantùm sacerdotes accessum habebant: ad alterum verò & laici nonnunquam proficiscebantur. Nec alia de causa eò accessit, nisi ut ibi tutus esset. Ibi autem homines quandoque dum periclitarentur servatos fuisse. 21. Exodi, satis innuitur. Lex enim fertur, ut si quis hominem prudens & volens interemisset, vel ab ipso domini altari abduceretur.*

retur. Innuitur itaque propter alia quæpiam crimina fuisse ad altare nonnullam securitatem. Adonias quidem neminem occiderat: crimen attamen gravissimum & capitale admiserat, nimirum læsæ Majestatis. Deinde seditiosi rei sunt mortis. Nam contra Magistratus insurgunt, qui loco parentum sunt. Lex disertis verbis jubet, ut qui parentes maledictis insectantur, vel eos invadunt, occidantur. Præterea non levis culpa ejus fuit, quod patris fatum non potuerit expectare. Nec excusatur, etiamsi hæreditas ad eum pertinuisset. Ad hunc modum permulti filij comparati sunt, ut gravis admodum sit eis diuturna parentum vita: statim cupiunt in hæreditatem involare. Nihilominus tamen à Salomone aliqua ratio Adoniæ habetur, ut non hac de causa interficiatur: quod humano jure ad eum quodammodo regnum spectasse videretur. Et fortassis prætexebat illa se tentasse, ne sibi hæreditas regni auferretur.

XXVII.

XXVII.

De Joabo verò hæc habet: *Fortè voluisset longius fugere, sed temporis brevitate impediebatur: unde quod magis erat in proclivi, ad altare se contulit. Asylum ibi consecutus esset, vt quidam volunt, si nolens atque imprudens hominem occidisset, vel quemadmodum aliqui ex Rabbinis annotarunt, si quis ex ejus tecto decidisset. Lex enim jubebat, vt coronam & repagula ibi faceret. Verùm Joabus & volens & sciens magna proditione atque astu cædem fecerat. Verùm dicet quispiam, Fuitne adeò ignarus legum, vt nescoiverit sibi non profuturum, si ad altare confugisset? Quidam ajunt hoc illum non ignorasse. Sed quia nullum remedium ei supererat, voluisse hac ratione tempus redimere, ac mortem aliquantisper differre. Alii existimant, eum ita voluisse mori, ne sepulchro frustraretur. Nam si profugus extra fines Israelitarum fuisset occisus, patrium sepulchrum non fuisset assecutus. Verùm hæc fabulosa potius,* quàm

quàm verisimilia judicanda sunt. Id probabilius credendum est, quod superius diximus, illum ex dilatione pœnæ sibi pollicitum fuisse aliquam sceleris condonationem. Altare (ut arbitror) erat in Gabaon. Nam ibi eo tempore fuit ordinarium ministerium. At res longè secus cecidit, quàm ille sibi promiserat. Nam Salomon statim jussit Banaiæ, ut illum ibi occideret. Et quantum ex diversis locis Historiæ sacræ apparet, illa ætate non erat usus carnificum, sed ipsi principes in reos animadvertebant. Nam & Gideon filio suo imperavit, ut reges captivos occideret, à quorum cæde cùm horruisset, ipse Gideon eos interemit. Quin & Saul cùm sacerdotes Dei necari vellet, à proceribus quæsivit, ut irruerent in eos, at id cùm recusarent, Doeg vir primarius eos occiderat. Cùm verò à Salomone dicitur, Eum occidito, sententiam ejus nonnulli accipiunt, ut illum id facere jusserit, cùm eum eduxisset è loco sacro. Josephus ita videtur sentire, & Banaiæ

verba non secus indicant: quia rogavit eum, ut egrederetur, fortasse motus loci religione. Cùm verò is noluisset exire, illius responsum ad Salomonem relatum est. Idcircò mandavit, ut illic occideretur. Hebrei, ut solent, multa fingunt, nempe Joabum dixisse, Non æquum est, ut mea facinora duplici supplicio afficiantur. David, quippe cùm occidissem Abnerem, non tantùm execratus est me, (Id autem habetur 2. Sam. 3.) verum etiam posteros meos. Quare si posteri mei sunt pœnas daturi mei sceleris, & ego nunc plectar capite, duplicato supplicio mea peccata punientur. Rogo itaque regem, ut si me nunc interficit, in suos posteros Davidis execrationes recipiat. Quod si facere nolit, mihi saltem vitam relinquat. Id autem cùm Salomon facere noluisset, fabulantur ejus posteros illis morbis laborasse atque incommodis, quæ David semini Joabi fuerat imprecatus. Sed verba Salomonis quæ in textu habentur, confutant dilucidè hanc fictionem: quia satis

ſatis indicant, ob pœnam Joabi poſteros ejus non fuiſſe abſolvendos à Davidis exſecrationibus. Nam ait, Revertetur itaque ſanguis eorum in caput Joab, & in caput ſeminis ejus in æternum. Quod verò aliqui ex ſtirpe Salomonis affecti fuerint illis morbis, aliis de cauſis fieri potuit. Nec temerè imperavit rex, ut Joabus, qui confugerat ad altare, occideretur. Sciebat enim in Exodo vigeſimo primo ſancitum fuiſſe à DEO, ut is vel ab altari DEI abſtraheretur, qui volens aliquem interfecerit. Unde juxta verba legis volunt interpretes mandatum Salomonis intelligendum fuiſſe, ut Joabus vi prius abſtraheretur ab altari, deinde obtruncaretur. Quod obſervatum videmus in Hiſtoria ſacra circa Athaliam. Nam cùm Joas rex eſſet declaratus per Jehoiadá ſummum pontificem, illa proceſſit ad templum, ubi novus rex inaugurabatur, Jehoiadá verò juſſit eam educi atque interfici, cavens ne occideretur in ipſo templo. Et Chriſtus Matthæi vige-

ſimo tertio exprobrare videtur Hebræis, quòd Zachariam inter templum & altare interfecerint. Et Lucæ 13. Pilatus, quamvis obliquè, taxatur, qui ſanguinem Galilæorum cum ſanguine victimarum miſcuerit.

XXVIII.

Qualitas Homicidii, cui cautum eſt Urbium illarum deſignatione, ſecundùm Hebræos ita ſe habet, ut diſtinguant primò in homicidio involuntario patratum ex errore vel ignorantia ſimplici, atque infortunio, non tamen absque culpa levi imprudentiæ vel negligentiæ. *Secundò;* patratum caſu mero, qui in rebus humanis rarò evenire ſolet. *Tertiò;* in patratum ex errore quodam aut ignorantia, quæ tamen propè accedit ad id, quod ſpontaneum eſt vel voluntarium.

Primi exemplum illis eſt, abiens cum aliquo in Silvam ad ligna cædenda, ſi in ſucciſione lignorum ſecuris fugerit

rit manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit, de quo *Deuter. 19. v. 5.* Alterius exemplum exhibent in aliquo, qui dum scalam ascendit, forte delabens in quempiam illo ipso casu illi mortem infert. Tertium denique exemplum illis est, si quis alterum occidere volens, alterum jactu aliterve perimit, aut ubi jactu vel saxi vel teli in hominum cœtum, cujus nec ignarus qui jecerit quis occisus, adeoque intervenerit culpa latissima: non constitutam fuisse Urbem Refugii tertiæ speciei constanter adserunt, nec salus ulla in φυγαδευτηρίω istiusmodi Homicidæ, si Majemonidem audimus; nec in secunda specie, secundum illos, opus erat asyli præsidio, sed liber erat talis ab exilio seu migratione in Urbem Refugii, & si eum interimeret Vindex sanguinis, ipse eo nomine ultimo puniendus erat supplicio. Verùm primæ unicè φυγαδευτήριον subveniebat, & quidem si percussus statim moreretur, nec ex vulnere seu ictu langueret.

XXIX.

Num autem omninò ſit ſubſcribendum Judæorum Magiſtris, meritò dubitatur.

Nam I. ad primam ſpeciem referunt locum *Exodi 21. v. 3.* ubi dicitur: *Qui non eſt inſidiatus, ſed Deus illum tradidit in manus ejus, conſtituam tibi locum, in quem fugere debeat.* Agi autem hîc non de culpoſo aliquo Homicidio ſed caſuali, conſtat ex ipſo textu, quia removetur ita omnis cauſa ab homine, ut Deus Solus conſtituatur ille, qui cauſarit illud homicidium, occaſionârit, interfectoris manibus deſtinarit, & occidere fecerit percutientem, ut quidem verbum אנה innâh, latiſſimæ ſignificationis exponitur. Adeoque hîc tale Homicidium deſcribitur, quod ſola Providentia factum, homine nihil cooperante, cùm aliâs etiam voluntaria non fiant absque Providentia, nec tamen ea Phraſis illis aptari poſſit. Videatur Augusti-

gustinus Quæstione 79. Ex ipsa ulterius Magistrorum sententia putant recutiti, agi hîc de traditione alicujus in manum potentioris, ob latentem aliquam causam, si flagitium scilicet ab illo patratum sit, utut dignum exterminio, nec punitum à Magistratu. Utut autem si universaliter ita pronuncietur, non consentiamus illis, nihilominus colligi potest, talem occidi ab ipso DEO, homine saltem manum commodante, quæ planè à culpa immunis esse potest, & exequi quod Carnifex, in foro humano. Ex Interpretum denique consensu. Nam & Pontificii & Calviniani hunc textum accipiunt de homicidio Casuali; nec non ex nostris B. Brentius cum cæteris Orthodoxis.

II. In Dicto ex *Cap. 35. vers. 22.* habetur expressè בפתע bephéthah, quòd quamvis vertant, ad momentum, subitò repentè; plerique tamen reddunt *casu*, sive *fortuitò.*

Denique etiam locus *Deuteronomii* de

de caſuali accipitur, à noſtris & diverſæ quoque Religionis Theologis, qui comparant exemplum ibidem propoſitum, cum caſu qui habetur in Canone Concilii Tiburienſis XXXVI. qui talis: *Si contingat duos Fratres ſimul arborem ſuccidere, ſive in ſylva, ſive alio in loco, & cadente arbore alter alteri Fuge, ſeu Cave dixerit, & ipſe ſtans ſive fugiens ſubter arborem devenerit ac mortuus fuerit*, hoc, inquam, in Caſu pronunciant innocentem Patres illius Concilii.

XXX.

Non negamus tamen intercurrere potuiſſe quandoque aliquid culpæ ex negligentia vel imprudentia in tali Caſu: hoc tantùm volumus ex verbis hiſce præcisè non deduci; adeoque Urbes Confugii conſtitutas non tantùm culpa aliqua levi adſperſo homicidio, ſed & Caſuali. Idque ideò; quia, quamvis tale homicidium quandoque fuerit absque culpa, nihilominus, quum fuerit patratum in ſylva, remotis arbitris, nec per

per teſtes oſtendi potuerit evidenter? quomodo occiderit aliquis, ideoque etiam tale urgere potuit homicidam, ut ſe conferret ad Urbem aliquam Refugii & pateretur diſcuſſionem Cauſſæ, interea tutus à Vindice ſanguinis. Adde hîc quæ habet Toſtatus diſtinguens, ſi cui ſcindendo ligna, percutiendoque in duro loco aliove, deſilierit tota ſecuris de manibus, vel ferrum duntaxat, manubrio remanente in manu, & dicit, videri ſecundo modo magis involuntarium homicidium, ac fortuitum, quia primo modo ſuſpicari quis poſſet, dimiſſam data opera ſecurim.

XXXI.

Non tantùm verò hoc medio DEUS proſpexit Jiſraelitis, ſed etiam Advenis & peregrinis, ut confugeret ad iſtiusmodi φυγαδευτήρια, qui nolens ſanguinem fuderit, ut habent Verba *Num. 35. v. 15.* Duo autem hîc occurrunt nomina גר Ger & תושב Thoſchâ'bh. Similia

milia in Chaldæo & apud LXX. Interpretes, qui usurpant vocem προσήλυτος & πάροικος, & reperitur extensio hujus Privilegii *Josue 20. v. 9.*

Disputant verò circa hæc verba Tostatus, Masius & Magalianus. Ille enim per advenas peregrinos vult intelligi Conversos ex gentilismo ad religionem Judaicam: hi verò laxiùs accipiunt & cæteros quoque comprehendi homines statuunt. Nec destituuntur rationibus suis, ductis à benignitate divina, detestari DEUM, ajunt, omnem sanguinis innoxii effusionem simpliciter, neque jus dedisse Jisraelitis in quosvis extraneos, sed tantum in rebelles & Cananæos, populos excidio devotos; à paritate Jisraelitarum in Ægypto, qui quoque peregrini fuerint & alterius religionis cultores; docuisse itaque illos, ut adversus peregrinos etiam se exhiberent benevolos & benignos, atque hoc etiam pacto alios allicerent ad veri DEI venerationem; denique à Fine intento

tento ab ipſo DEO. ſpectaſſe enim ad reverentiam & honorem DEI, illam extenſionem privilegii, qui primarius finis introductæ ἀσυλίας. Pro Abulenſi, qui militare vellent, niterentur DEI conſilio, qui cùm Judæi rerum potirentur, nolebat gentiles tolerari, niſi fortè ſervirent; multò minus itaque eo usque indultum fuiſſe credibile quòd legem ſtatuerit de illis & Privilegio donarit illos, qui religioni non acceſſerunt. II. Diſtinctione illa inter גר & תושב quorum primum notat illum peregrinum, qui non ita pridem acceſſit, alterum, qui diu jam inter Jiſraelitas commoratus & ſedem fixiſſet. Quò etiam videntur referri nomina apud LXX Interpretes diſtincta; denique Hebræorum ſuffragio, qui Gentilem ab hujus Privilegii participatione excludunt.

XXXII.

Nos exiſtimamus primò & directè reſpexiſſe hanc Legem peregrinos & ad-

advenas, qui aliqua ratione Judæis addicti & per GER sive peregrinum intelligimus Proselytum Justitiæ, sive tractum vel confederatum, quales fiebant Circumcisione, Baptismo & Sacrificio & habebantur ferè Judæis æquales; per חושב verò Proselytum portæ, qui citra suprà recensitos ritus locum habebat inter Judæos, & ita habitabant in terra benedicta, ut abstinerent ab Idololatria gentilium & VII. Præcepta Noachidarum observarent. sique fides habenda Rabbinis, prioris generis non fuerunt recepti toto tempore Davidis & Solomonis à Synedrio magno, quamvis Senàtus inferior illos tolerarit.

XXXIII.

Distinctiùs progrediuntur Hebræi, & *primò* asserunt: Si Proselytus portæ occiderit liberum sive servum casu, fugiendum illi fuisse ad aliquam Urbium à DEO tutelæ destinatam; ad gentilem verò, qui nondum Proselytus Domicilii fuerit factus, sive Ebræum sive gentilem

tilem ex errore ſeu Caſu qualicunque occidiſſet, Urbium Refugii Privilegia non pertinuiſſe; quanquam non fuerit ex ſententia forenſi morte plectendus, ſed Vindici ſanguinis relinquendus. *Secundò;* ſi Jiſraelita occidiſſet ſervum aut Proſelytum Domicilii, migrandum ei fuiſſe ad φυγαδευτήριον; ſi verò Gentilis Gentilem caſu interfeciſſet, nullam Tutelam præſtitiſſe Urbem Refugii. *Tertiò*, ſi Proſelytus Domicilii occidiſſet Hebræum ſive Circumciſum, non profuiſſe illi Urbes refugii, ſed, utut involuntarium fuiſſet homicidium, nihilominus morte ſeu gladio à Vindice Sanguinis eum plecti potuiſſe: ſi autem *Proſelytum* ſui generis, potuiſſe advolare & Aſyli Privilegio in aliqua earum frui.

XXXIV.

Satis diu inhæſimus Numero Urbium, Situi, Modo, Qualitati Homicidæ, nunc diſpiciendum, quid de *Vindice San-*

Sanguinis ſit ſtatuendum, qui dicitur גואל Goël, *Redemptor, ultor Sanguinis*, ut reddit Hieronymus. Hic fuit Cognatus occiſi, de quo confeſtim Controverſia oboritur: an indefinitè notet quemcunque cognatum, an verò illum tantùm, qui proximè attigerit occiſum. Et primò quidem illud extra controverſiam ponimus, licuiſſe cognato interficere homicidam tantùm, non autem alteri alicui, qui nullo ſanguinis vinculo attigit occiſum, utut amicus fuerit; quum id ſatis conſtet ex *Numer. 35. v. 12.* & *Deut. 19. v. 6.* unde erronea cenſenda Opinio Eugubini, putantis non tantùm cognato & propinquo, verùm etiam aliis fuiſſe jus ulciſcendi.

Interim num jus hoc fuerit omnium cognatorum, quocunque ſanguinis titulo vicinorum, num verò tantùm propinquiſſimi, nondum expeditum eſt. Qui Joſephum ſequuntur ac Philonem, putant ſe inveniſſe *in plurali numero* præſidium pro extenſione ad omnes ſan-

ſanguine junctos, quo uterque Scriptorum utitur; maximè ſi attendatur deſiderium erepti, non uni ſed omnibus cognatis eſſe commune.

An autem hæc tanti ſint, ut dimoveant à tramite recto, unicuique anagnoſtæ ſacro expendēdum relinquimus. Nam *Primò* quoties in mendacio deprehenſus eſt Joſephus, quoties in favorem vel ſuorum vel gentilium, addidit quædam pro arbitrio, quædam demit & truncavit, à qua labe etiam non immunis eſt Philo? *Secundò*; quamvis deſiderium erepti fuerit commune, non tamen ejusdem gradus & intenſionis penes omnes & ſingulos, ſed pro ratione diſtantiæ vel propinquitatis intenſius vel remiſſius. *Tertiò*; pro nobis ſtat ipſa Scriptura, quæ uniformiter de uno & in ſingulari loquitur; & ut obligatio ducendi Fratriam ad unum ſpectabat, ita quoque hoc jus vindicandi ſanguinem occiſi.

XXXV.

XXXV.

Illud altioris eſt indaginis, an DEUS tantùm permiſerit Vindici ſanguinis Interfectionem Homicidæ: num verò voluerit illum obligatum adeò, ut vi cujusdam mandati obſtrictus fuerit ulciſci ſanguinem, interficere eum qui ſanguinem proximi fudit. Prius placet quibusdam non contemnendæ Authoritatis viris.

Nam primò *Num. 35. v. 19. & 21.* dicitur: *Redemptor ſanguinis ipſe interficiet homicidam, in obviando ipſum in ipſo; is eum interficiet.* LXX. Interpretes quoque repetunt phraſin ἀποκτενεῖ, & *v. 26. & 27.* verba ita ſonant: *Si egrediendo egreſſus fuerit homicida terminum Vrbis ſui Refugii, quò ſe receperat illuc: & invenerit eum Redemptor ſanguinis homicidam, non erit ei ſanguis.* Denique in *Deuteronomio* præcipitur apertè *cap. 19. v. 20. mittent Seniores Civitatis illius & capient eum inde &*

eum

eum dabunt in manum Redemptoris sanguinis, ut moriatur.

II. Ut in cæteris actibus habuit se Goël ad proximum suum, ita quoque in hoc ipso: In cæteris autem actibus se ita habuit, ut obligatus fuerit ad executionem. Ergo in hoc quoque opere. prius constat; quia Goël tenebatur ad sublevationem Fratris, *Lev 25. vers. 35. Deut. 15. v. 7. & seq.* tenebatur redimere bona proximi, quæ alienârat, vi Legis *Levit. 25. v. 25.* tenebatur in id niti, ut in libertatem restitueret cognatum, qui in servitutem incidisset, juxta illud *Levitici 25. v. 39.*

III. Si attendamus ad Hebræos, tam certum hoc est, quàm quod certissimum. Verba Majemonidis radio Solis scripta tantùm hîc adducamus, quæ ita leguntur in Latino: *Praceptum est de Vindice sanguinis ut homicidam interficiat juxta illud quod dicitur: Vindex Sanguinis morte plectat homicidam; & quisquis jure ha-*

re hæreditario ei succedere debuisset, is vindex erat sanguinis.

XXXVI.

In oppositam verò sententiam nos inclinare faciunt rationes non exigui ponderis. Nam I. licet verba ex Numeris producta videantur esse præceptiva, alibi tamen, ubi Scriptura de Goële loquitur, nihil tale potest ostendi; sed potiùs stylus ita figuratur, ut tantùm referatur illa Vindicis persequutio sub ratione alicujus operis futuri vel eventualis, prout docet locus *Deuteron. 19. v. 6. Josua 20. vers. 5.* imò sub hypothesi persequutionis Goëliticæ prohibetur Extraditio, injungitur ut studiosè ipsum conservent & tueantur à violentia Incolæ Urbis, & ipsum factum elevatur, quòd scil. non in scientia sed nescius, nec ex affectu, sed *ἀκουσίως* & citra causam aliquam, ex parte infelicis homicidæ interemerit proximum.

Secundò; hactenus ostendimus in superioribus; Casuali homicidio fuisse desti-

destinatas Urbes refugii; illum eò se recepisse, qui nullo dolo & quandoque extra omnem culpam occidisset: at quî intelligi potest, jus datum sceleri, mandatum fuisse à DEO sanguinis Vindici, ut occideret innocentem? quod utique fuisset infortunium peccato expiare; & qui tam solicitè cavit sanguinis Effusioni Asylorum Constitutione, à Benignitate devians eo ipso latam portam aperuisset homicidiis innocentum, mandando & præcipiendo illam violentiam, quod à DEO sapientissimo, benignissimo, nec unquam sibi contrario, nunquam præsumendum esse censemus. Quid si ponamus aliquam culpam intervenisse in illo homicidio, vel universaliter vel particulariter; quum tamen prius planè nequeat ostendi: num imperandum fuisset Vindici sanguinis ut occideret fugientem; quum ipsa ratio, & æquitas naturalis dictet culposum homicidium non æquandum doloso, nec puniri

niri posse talem supplicio sive pœna ordinaria, Justitia aliâs periclitante, quæ unicuique tribuit, quod suum est.

Tertiò; notanter dicitur *Deut. 19. vers. 6. Ne forte insequatur Redemtor sanguinis post homicidam, cum incaluerit cor ejus.* Affectui itaque excedenti illa persequutio, & futura vel futuribilis occisio tribuitur, & quidem vindicativo, ex intervallo etiam adhuc perseveranti & pertinaci. Confirmat nos in nostra Sententia B. Proavus, qui in Commentario ad *Num. cap. 33.* hanc epicrisin addere voluit: *Hanc violentiam DEUS in populo dura cervicis non tam approbavit, quàm toleravit: sicut etiam divortium ex alia quàm adulterii causa usurpatum magis dissimulavit, quàm instituit. Caterùm inter Christianos talis vindicta neutiquam est concedenda, & DEO & Magistratui permittatur legitima vindicta, nè in vindicando magis iracundia quàm vocationi inserviamus.*

XXXVII.

XXXVII.

Argumentis ſuprà in oppoſitum adductis ſatisfieri poteſt, ſi dicatur ad primum I. poſito quod præceptivè illa verba eſſent accipienda, loqui tamen Legislatorem de obligatione in Caſu homicidii voluntarii, quòd ſi quis ferro percuſſerit & mortuus fuerit, qui percuſſus fuit vel lapide vel ligno, ut verſus antecedentes docent; tunc & tali in caſu obligatum fuiſſe Goëlem ad vindicandum proximi ſanguinem.

Secundò; poſito de involuntario homicidio, culpâ tamen aliqua adſperſo, hæc verba quoque eſſe exponenda, nihil dicitur, quàm, *propinquus occiſi homicidam interficiet; ſtatim ut deprehenderit eum interficiet.* nùm autem hoc ita abſolutè intelligendum, nondum evidens eſſe exiſtimamus; quia hoc ſuppoſitis ſupponendis poteſt accipi; ſcil. Propinquum Occiſi interficere debere causâ Homicidæ diſcuſsâ, dijudicatâ, & ſententiâ jam in illum latâ; non autem

autem Judices tradituri essent istiusmodi homicidam Goëli, nisi latissimæ culpæ fuisset homicidium, quæ dolo æquiparatur. Præsidium, pro hac restrictione est, tum in *versic. hujus Cap. 22. 23. 24. & 25.* in quibus ita decernitur: *Quod si fortuitò & absque odio & inimicitiis quicquam horum fecerit, & hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percussorem ac Propinquum sanguinis quæstio ventilata, liberabitur innocens de Vltoris manu, & reducetis per sententiam in Vrbem ad quam confugerat &c.* & trigesimo, in quo hæc leguntur: *Homicida sub testibus punietur: ad unius testimonium nullus condemnabitur.* quem aliqui urgent, qui tamen, an stringat in hoc Casu non absque caussa dubitamus; tum in Chaldæo Interprete, qui expresse adjecit hæc verba: *Quando condemnatus fuerit in Judicio;* tum in ipsa recta ratione. Nam si simpliciter jussus est occidere GOEL, jussus est etiam innocentem interficere, qui ut ipse

ipſe DEUS loquitur, inſidiatus eſt, & quem ipſe DEUS tradidit in manus Percuſſoris *Exod. 31. v. 13.* juſſus eſt occidere illum; qui ſecundùm Hebræos occidi debuit ex Decreto divino ob maleficium quoddam impunitum, homine tantùm commodante manum vel operam, citra influxum principiorum moralium, ut Carnifex vel lictor Magiſtratus; juſſus eſt interficere indiſcriminatim, voluntarium & involuntarium homicidam, & conceſſum eſt homini Affectu incenſo ſævire, ſuppoſita diverſitate inſigni in factis, in diſparis conditionis homines, dignum venia & pœna.

Tertiò; tam non obligatum fuiſſe ad interfectionem alicujus Homicidæ Goëlem quidam arbitrantur, ut etiam voluntarium non juſſus fuerit interficere ſtatuant. Nec ratione deſtituuntur. quia privato exaſperato ſe & ſuorum ſanguinem nimiùm æſtimanti, non videtur conceſſum fuiſſe, ut ipſe diſtingueret inter Homicidam voluntarium & in-

& involuntarium, sed aliis ἄνευ παθῶν & dextrè judicantibus hoc relinqueret, nè conscientiam contaminaret.

XXXVIII.

Ad *secundum ex vers. 26. & septimo* commodè dicitur posito, quòd injunctum fuerit GOELI homicidam extra fines Urbium divagantem interficere, tamen illud nondum stabilire mandatum de occidendo Percussore etiam involuntario. Sermo enim est de tali, qui jam habuit Jus Refugii, urbem adiit & ab illa fuit receptus, & nihilominus beneficii divini immemor, vitæ suæ prodigus, negligens propriæ salutis exerravit; quum tutus latere potuisset. Posito enim hoc contemptu gratiæ, hac ingratitudine, & neglectu Præsidii divinitùs constituti, DEUS utique decernere potuit, ut talis dignas non tam homicidii quam contemptus illius profundi pœnas lueret.

Secundò; etiam ex his verbis mandatum exsculpi nequit; cùm tantùm hoc

hoc dicatur, illum GOELEM, qui temerè excedentem fines Urbis exulibus deputatæ absque noxa fore, si eum occiderit, quod de impunitate accipi poteſt, quòd ſcil. talis GOEL in tali caſu non obnoxius futurus ſupplicio, quod aliàs in homicidas decernitur in foro humano; ſecundùm Hebræum & Chaldæum: *non ipſi ſanguis*, ſcil. fuſus, imputabitur, non erit obnoxius morti. Conferendus locus *Exod. 22. v. 2.*

Tertiò; ipſe Cornelius à Lapide ad verba, *absque noxa erit*, addit, non punietur, non ſanguis ipſi imputabitur, ita ut pro eo ſuum perdat.

XXXIX.

Ad Tertium *ex Deuteronomio* reſponderi poteſt I. agi de Caſu poſt diſcuſſionem cauſſæ, & ſententiam latam. tunc enim tradere vel poterant vel debebant in manum proximi illius, cujus ſanguis effuſus. Quis autem credat, illum, qui deprehenſus innocens, tradendum fuiſſe Goëli, cùm oppoſitum diſertè im-

peratum *Numer. 36. vers. 25.* *Secundò*; dubium adhuc est, num facta traditione Goël obligatus fuerit interficere reum & executor esse Justitiæ. Quamvis enim hoc placuerit Nicolao Lyrano, nihilominus probabilius est, potuisse vi hujus dispositionis per se occidere traditum, si vellet, atque ita sese exhibere ministrum Justitiæ, non tamen ita debuisse, ut non per alium potuerit hoc exequi vel GOEL, vel ipse Judex. *Tertiò*; apertè constat ex toto textu agi ibidem de Homicidio voluntario, unde hic locus planè *ἀπροσδιόνυσος*.

XL.

Alterum argumentum non concludit. Nam si concedatur in cæteris actibus fuisse Mandatum vinculum injiciens, obligationem inducens, non tamen erit necessarium admittere in hoc actu. idque ideò, quia illi actus absque illa labe, imò, si ex sincero corde proficiscerentur, opera misericordiæ, actus Charitatis, fundati in Lege divina, mo-

rali:

rali: *Diliges proximum tuum ut temetipsum*; at occidere illum, qui citra principium morale non tam commisit homicidium, quàm destruxit physicè, quum labe carere videatur, ideoque meritò removemus ab imperio Numinis Sanctissimi, qui non nisi illa, quæ justa & sancta, mandare potest. *Secundò*; in ipsis his actibus Goëliticis ratione obligationis nõ erat par ratio & gradus necessitatis, imò in Vindicatione in Libertatem quandoque expirare potuit obligatio. Si itaque in tali parte Officii cessavit quandoque obligatio, non poterit firmiter concludi à similitudine actuum ad paritatem Obligationis. *Tertiò*; posito obligatum fuisse ad vindicandum sanguinem proximi: non tamen eo usque obligatus censendus erit, ut etiam potuerit progredi ad Effusionem sanguinis innoxii, sed hoc tantùm facere tenebatur ex Mandato, ut debito modo & gradu progrederetur ad opus imperatum, nec quicquam omitteret,

ret, quod ad sanguinem Proximi occisi legitimè vindicandum faceret, maximè in homicidio doloso, vel culpa notabili contaminato.

XLI.

Tertium ab Authoritate ductum nos non terret, qui novimus Majemonidem, utut primus inter Rabbinos insanire desierit, non tamen cœcitati Judaicæ renuntiasse, & non etiam quandoque putamina baccis miscuisse. Comparatè ad alios hoc elogium illi quondam à Viro erudito tributum, non absolutè; novimus ipsum in his ipsis verbis fuisse hallucinatum, dum allegavit locum *Numer. 35. vers. 19.* qui tamen pro ipso non facit secundùm discussa. Denique novimus in universum illos fabularum hamaxarios quævis confingere, ut thesin aliquam tueantur, vendere passim falsa pro veris, vitrum pro gemma.

XLII.

Placet itaque nobis sententia, quæ per-

Permiſſionem hîc agnoſcit, & exiſtimamus GOELEM vel in genere quidem fuiſſe obligatum, cæde facta proximi, urgere & fatigare omnia media, ut ſanguis ille non neglectim haberetur. *Secundò*; ſi interveniret Receptus in Urbem, iterum urgere diſcuſſionem facti, & agere contra homicidam. *Tertiò*; etiam attendere, num intra terminos φυγαδευτηρίου maneret nec ne. Permiſſum verò fuiſſe 1. illi occidere ſi multum concedendum, homicidam voluntarium citra cauſſæ diſquiſitionem in foro ſoli; permiſſum 2. fuiſſe ac toleratam etiam cædem alicujus Homicidæ involuntarii: maximè ſi culpa adhæſerit facto; & tandem 3. permiſſum fuiſſe interficere homicidam etiam receptum, ſi egreſſus fuerit fines Urbium Refugii. Quo verò Permiſſionis genere vel gradu diſtincti hi actus fuerint gaviſi, & quomodo inæqualiter ſeſe habuerit ad illos divina Voluntas, in ipſa Diſputatione data occaſione uberiùs exponemus.

XLIII.

Suprà mentionem fecimus discutiendæ Causæ in porta aliqua celebriore Urbis, ubi Judicia Hebræorum exerceri solebant. Quænam verò illæ Urbes, an Refugii, num verò domicilii vel cædis factæ, hactenus non definitum est. Quanquam autem pro utraque sententia sint argumenta in medio, & placuerit Andreæ Masio & Montano prior sententia, posterior tamen videtur prævalere. Nituntur Affirmantes loco *Numer. 35. vers. 25.* ubi dicitur, post Causæ examen liberari innocentem de Ultoris manu, & reduci per sententiam in Urbem in quam confugerat; 2. Ebræorum testimonio, quod prolixius adductum videatur apud Fagium. Denique Processus Juridici modo, quia in Urbe illa, in qua cædes facta, fuerint testes, & haberi potuerint ad indicia facilius explorandæ Veritatis, quàm in Urbe dissita Confugii.

XLIV.

XLIV.

Ut autem Urbes Confugii tutatæ ſunt Homicidam, qui capax Juris illius adverſus Vindicem ſanguinis, ita illud Munimentum, illa tutela, certum habebat terminum, qui deſcribitur *Num. 35. v. 25.* quum dicitur: *Manebit ibi, donec Sacerdos magnus, qui oleo ſancto unctus eſt, moriatur.* De Nocente liquidum eſt, Jure Aſyli non fuiſſe capacem, & deditum Urbi, in qua cædes commiſſa, ut conſtat ex *Deuteron. 19. verſ. 11. & 12.* Innocens autem reductus fuit ad Urbem poſt declarationem Judicum & ſententiæ pronunciationem: Quia quamvis agnitus fuerit innocens, nihilominus usque ad mortem Pontificis reductus, illius Urbis terminis ſive territorii, ut volunt Ebræi, fuit circumſcriptus.

Cauſa hujus manſionis intra urbium illarum aliquam fuit tum *Moralis*: ut ſcil. interea mitigaretur ira cognati & ſanguine junctorum: quum ſecundùm

Theodoretum fuga tanti temporis Propinquorum emolliverit iram, & vindictæ libidinem refrenarit. Terminus verò fuit Pontificis Mors, partim ut in luctu totius Reipublicæ publico, ille affectus in homicidam prorſus extingueretur; cùm afflictio & luctus populi aliâs ſedare ſoleat curas & irarum Impetus; partim, quia Sacerdos Summus expiator erat talium culparum; partim quia Summo Pontifice mortuo, videbatur pars adverſa extincta, quæ ultionem à Deo peteret; tum *Politica*, ut ſcil. homines maximè abſterrerentur ab Homicidio, dum etiam involuntarium viderent ita lege divina coherceri, tanquam carcere quodam concludi, Urbe Refugii, atque abhorrerent ab homicidio tali, cùm ne involuntario cautum eſſet perfecta ſecuritate. Tum *Typica*, inprimis ut ſignificaretur Christi, tanquam Pontificis ſummi morte perfectam libertatem adſerendam & remeationem in Patriam, à qua propter peccatum

catum exules facti sumus. Quod tamen non accipiendum sensu pontificio, quasi ante mortem CHRISTI aditus fuisset Patribus ad Cœlum præclusus, sed orthodoxo, quòd antecedenter ad mortem CHRISTI tanquam causam nihil fuerit, quod vel Patribus, vel nobis viam patefecerit ad Beatitudinem æternam.

XLV.

Dispalescit ex dictis, quis FINIS harum Urbium, cui Bono illa φυγαδευτήρια. *Primò* enim ideò à DEO constituta sunt, ut Innocentiæ consuleretur, atque is, qui citra dolum, imò citra culpam quandoque interfecisset in vita conservaretur. Detestatur quippe DEUS innoxii cædem, & vitæ ut Author, ita quoque Conservator est. *Secundò*; ut perempti propinquorum & inprimis Vindici Sanguinis sufflamen aliquod injiceretur, exæstuantis animi fervor temperaretur, atq; dolori & iræ materia & pabulum subduceretur. *Tertiò*; ut Judi-

Judicibus ſuppeditaretur ſtimulus Officii, & commendaretur tum Prudentia, tum Juſtitia, tum Æquitas. Prudentia quidem, ut probè cauſam diſcuterent, cautè progrederentur in Materia quæ ſanguinem Hominis ſpectabat, de quo ſuprà; Juſtitia, ut doloſum homicidam & illum, qui non capax hujus Juris, dignum ſupplicio vel pœna extraordinaria traderent, nec Nebulones foverent, & Urbem ſuam macula Πονηροπόλεως conſpurcarent; Æquitas, ut reciperent Confugam, innocentem defenderent, commiſeratione proſequerentur, & præſcinderent omnem Occaſionem novarum vel rixarum vel cædium. Addunt aliqui hîc Pœnitentiæ figuram eſſe inſinuatam, ut ſcil ad hoc exemplum peccator confugiat ad Aſylum Miſericordiæ divinæ corde contrito, & in Pontificis ſummi Morte ſuam quærat libertatem, ſperet Salutem.

XLVI.

Huic verò Fini triplici ſubſerviebat

etiam

etiam illa Urbium Aſſignatio, illa æqualis per Provincias Diviſio, *Deuter. 19. verſ. 3.* Præceptum quippe erat Jiſraëlitis, ut terram in partes ſive circulos dividerent, *triplicarent*, velut Hebræum ſonat verbum, tertiarent, & in id incumberent, ut in unoquoque Triente Civitas Confugii commodo ſtatueretur loco. Impugnare tamen videtur illam Diviſionem æqualem, ipſa partium comparatio. Cisjordanina enim regio, cui tres adſignatæ erant, longè erat minor transjordanina, quæ tamen non pluribus quàm tribus quoque gaviſa fuit. Verùm I. ratio reddi poteſt hæc, quòd expedierit Homicidas etiam involuntarios, quàm longiſſimè abeſſe à loco homicidii commiſſi, adeoque potuiſſe fugere transjordanenſes etiam in Urbes cisjordaninas; ut tamen conſuleretur illis, qui non vicini Jordani ſed in interioribus partibus aut extremitatibus transjordaninæ regionis habitabant, ideoque etiam intra hanc tres

ſunt aſſignatæ; ut nihilominus aliqua Diſtantiæ proportio locum habere potuerit. II. Quamvis transjordaninus Tractus latior fuit cisamnano, in longitudine tamen ambo ferè conveniebant. III. Ut terra Canaan fuit diviſa in tres partes æquales, ita in medio primæ fuit HEBRON ad meridiem, SICHEM in medio ſequentis, denique CEDES in ultimo verſus Septentrionem medio, quod etiam de tribus in cisjordanenſi regione dicendum.



DE

DE ASYLIS GENTIUM.

TH. I.

QUanquam populus Ebræus ſelectus à DEO in peculium, quædam habuerit ſingularia, neque cum gentibus peregrinis familiariter egerit, ut etiam Tacitus objecerit illi vitæ genus ἀσύμβολον, ſcripſerit quinto Hiſtoriarum, Fidem habere illum obſtinatam, miſericordiam in promptu, adverſus omnes alios hoſtile odium: non tamen illi ſoli proprius fuit Aſylorum uſus, jura & privilegia; ſed paſſim etiam inter gentiles luxuriarunt immunitatis nomina, & partim homines alicujus authoritatis, partim res inſignes aliquâ notâ, partim denique loca fuerunt certis quibusdam privilegiis ornata, ut, qui violare auſus fuiſſet, obnoxius fuerit ſeveriori animadverſioni; qui tueri acceſſu ſeſe intendiſſet, mitiores

tiores expertus fuerit animos & ex Reverentiâ Religionis sibi parârit aliquod tempore infortunii præsidium.

II.

Inter illas autem immunitatis species illa maximè nobis hîc venit expendenda, quæ locorum est, de cujus origine, varietate, numero, usu & abusu aliquid observare, notare & proponere libet; non tantùm quia, quæ de Ebræorum Asylis ex Scriptura possunt habere, præmisimus; sed etiam quia opposita juxta se posita magis elucescunt, atque corpora regulariter umbræ comitari solent.

III.

In natales Asylorum, quæ fuerunt extra DEI populum, si inquiras, deprehendes quàm plurimis aquam hærere; quosdam autem ad Ægyptios se conferre, & ab illis ducere originem & primas Asylorum lineas. Referunt enim fuisse apud Ægyptios Principem Assyrophenem, divitiis, opibus, potentiâque præstantem, qui, cùm unicum,

quem

quem habebat chariſſimum filium, ampliſſimi ſui patrimonii hæredem, & poteſtatis ſucceſſorem relinquere cogitaſſet, ſpe dejectus ex morte immatura filii, ex mœrore undique circumfuſus, in orbitatis remedium & ſolitudinis ſolamen chariſſimi pignoris ad vivum expreſſam imaginem commodo domus loco repoſuerit, cujus cultum à patre præmiſſum cùm fuiſſent conſpicati famuli & ſervi, ut Domino gratificarentur, detecto capite, florum ſparſione, ſuffitu, coronarum impoſitione auxiſſe, & tandem, ſi quid deſignaſſent correctione dignum, peccaſſent in Herum, officio ſuo defuiſſent, confugiendo ad ſimulacrum illud eximium, veniam à Domino impetraſſe. His principiis ortam fuiſſe immunitatem confugientium ad ſtatuas, quæ ad alios quoque ex privatâ familiâ demanarit. Laudant in hanc ſententiam Fulgentium, Bernhardum, Sixtum Senenſem & Alphonſum Toſtatum Epiſcopum Abulenſem,

IV. Pro-

IV.

Proximè ſequutam fuiſſe immunitatem ſtatuæ mortui Beli patris à Nino primo Aſſyriorum Regè conceſſam, cui occaſionem dederit Ægyptus. Cùm enim ibi reperiſſet ſtatuam, quam Aſſyrophenes filio poſuiſſet, motum fuiſſe ut Patri Belo, Regi optimo, jam vitâ functo publicè illuſtrius ſimulacrum erigeret, & immunitatis privilegio ornaret; imò ipſas ſtatuas pro Diis habitas, atque uſum illarum in ipſo ortu ſui excidiſſe; unde Nabuchodonoſorem, cum ſtatuam ſibimet vivus erigeret, eo dementiæ veniſſe, ut illam pro DEO coli adorarique præceperit, teſte Daniele cap. III.

V.

Antiquiſſima quoque fuiſſe Aſyla apud Gentes, illud à Cadmo poſitum conſtructis Thebis ad replendam urbem incolis, illud apud Nili oſtium Canopium poſitum Herculi adhuc viventi, cùm apertum fuerit ante Bellum Tro-

Trojanum, illud à filiis & nepotibus Athenis constructum, de quo Statius lib. 2. Thebaidos ita canit: *Urbe fuit mediâ nulli concessa potentum Ara Deûm mitis posuit Clementia sedem.* Illud tandem, quod Semiramis Nini Regis Assyriorum Conjux post mortem mariti Belo Socero construxerit magnificentissimum sc. Templum, in quod statua Beli à Nino fabricata invecta.

VI.

Nondum autem à nobis assensum impetrant, qui ita disserunt. Nam primò Princeps ille Assyrophenes nimis obscurus est, nec huic sententiæ fulciendæ par. Nihil enim de hoc homine Scriptores Historici, nihil probati authores habent, ipsum nomen suspectũ, florum sparsio & suffitus conficti, compellatio simulacri, Historiæ videtur simulacrum, non Veritas. Secundò de ipsa statua quam in domum collocasse Assyrophenes dicitur, hærent, an fuerit ex marmore an ex ære; nesciunt, quid dicen-

dicendum, quomodo illa delineanda. Tertiò, si admitteremus fuisse hunc Ægyptium unquam in rerum natura, contigisse etiam ex morte filii hujus statuæ collocationem in domum, ortum ex famulorum servili ingenio cultum divinum circa illam, nondum tamen confectum esset ex Ægypto dimanasse hoc in Assyriam, occasione hujus simulacri permotum fuisse Ninum ut Patri Belo statuam poneret, atque asyli jure eandem coronaret. Posito enim quod Ninus ex Assyriâ in Ægyptum bellandi causa transierit, quomodo demonstrabitur familiarem factum fuisse huic Assyropheni, effigiasse illam statuam, ideam ejus concepisse animo, cùm qui ita nugari soleant, probabile censeant etiam alios in Ægypto Viros primarios tales imagines prostituisse. Quî ergò non ab aliis accepisse, si accepit, cum plures fuerint infelicium simulacrorum basiatores, statuendum? præterea si posset ostendi transiisse Assyrophenem ex Ægy-

Ægypto ad Assyrios, forsan color aliquis posset addi relationi, ut hoc ipsi, qui factum recensent, non agnoscunt. Cùm itaque manserit intra Ægyptum hic Assyrophenes, illiusque statua, quam collocarat in domum, nec alias devictorum mores imitari soleant Victores, sed suas obtrudere leges: longè probabilius est, si ponamus Ninum ingressum esse Ægyptum, subjecisse sibi incolas terræ; nihil, quantum ad statuarum erectionem vel Asylorum constitutionem, ex illa hausisse. Adde cùm σύγχρονοι fuerint ille Assyrophenes & Ninus, fatentibus affirmativæ propugnatoribus semper in dubio manere nũ hîc ab illo, an verò ille ab ipso Nino fuerit seductus, & exemplo publicæ statuæ ad privatæ molitionem & collocationẽ fuerit famâ pervulgata motus. Qui verò tibicines hujus structuræ laudant Fulgẽtium, Bernhardinum Sinensem, & Tostatum Abulensem, non expendunt nimis infirmos esse tãtæ moli sustinendæ, homi-

homines novos, antiquitatis veræ & sinceræ ignaros, fabularum convictos, & quamvis superior Ingenio cæteris fuerit Tostatus, Vir mentis capacissimæ, tamen quandoque etiam cum frumento scarabæos & insecta horreis suis imprudenter intulit.

VII.

Jam si conjecturis indulgendum, potiùs in hanc sententiam descendendum, ipsos Chaldæos cœpisse colere, primum Nimrodum sub Saturni nomine, Belum verò successorem ob res feliciter gestas ad exemplum patris sub titulo Jovis, atque ita in Cœlum prius retulisse; dein cultum quoque instituisse. Quicquid verò sit; si primùm: cultus fuit Nimrodus. & pro Divo Indigete fuit habitus, non longa quærenda fuit occasio vel exemplum statuæ ponendæ, cultus instituendi, Asyli proponendi & ex Ægypto arcessendum, cùm ipsa Syria sive Assyriorum terra jam in Nimrodo habuerit

rit, quod in imitationem duceretur. *Secundò*, quamvis Justinus de Nino referat, illum avitum gentibus morem novâ imperii cupiditate mutasse, magnitudinem quæsitæ dominationis continua possessione firmasse, & domitis proximis totius orientis populos subegisse; non exiguum tamen errorem Trogi, quem Justinus secutus fuit, notavit Eusebius, quod sc. Nini posterorum historiam, cùm minus cæteris cognitam haberet, confuderit, nobilissima quæq; facta eorum in unum Ninum ejusque uxorem Semiramidem contulerit, inde congestis etiam Nimrodi sive Beli facinoribus. Si autem hæc confusa, posito Expeditionem aliquam esse susceptam in Ægyptum feliciter, nondum constabit an Belo, qui superior Assyrophane illo, anm verò Nino illa veniat assignanda. Sanè Nimrodus cujus tempore cœptum est laqueis captare feras & tollere inventum, & magnos canibus circumdare saltus, cujus etiam moribus originem debuit

buit proverbium: *Tanquam Nimrod potens venatione coram Jehova* *is Gen. 10. vers. 10. & 11.* perhibetur in principium habuisse Regni Babylon & Erech & Achad & Calneh in terrâ Sinear, ex quâ non Assur, ut volunt interpretes, sed ipse egressus in Assyriam, & ibi ædificavit Niniven & Rehoboth Urbem & Chalach & Resen, quæ est magna Urbs inter Niniven & Chalach, unde etiam Assyria nominatur terra Nimrod *Micha 5. vers. 6.* unde verba ista ita reddenda: Egressus est in Assyriam: ut אַשּׁוּר sit idem quod לְאַשּׁוּר quo quidem modo alibi etiam Scriptura loquitur. *Tertiò*, Ninum quidem Orientis populos subegisse habemus ex historicis, attigisse etiam Lybiam & Æthiopiam in Africa; vix tamen probatus adducetur, qui Ægyptum ab illo domitam fuisse asserat, quam quidam ab Africa & Asia diversam fecerunt partem, quidam diviserunt, & unam partem Asiæ, alteram Africæ tri-

tribuerunt, quidam verò Africæ adſcripſerunt. Non negamus Diodorum Siculum lib. 3. rerum antiquarum referre ex Cteſia, cap. 1. Ninum Arabum Rege aſſumpto exercitum duxiſſe adverſus Babylonios Arabiæ contermiņos in Mediam, deinde auctis viribus trasgreſſum, cùm ei Rex cum exercitu occurriſſet, prælio victum, cumque uxore & ſeptem filiis captum cruci affixiſſe, proſperâ fortunâ elatum Ninum cupiditatem cœpiſſe totius Aſiæ, quæ inter Tanaim Nilumque jacet, potiundæ. Subjeciſſe ſibi omnes maritimas & propinquas gentes Ægyptios, Phœnices & interiorem Syriam &c. Sed novimus hunc Siculum in multis fuiſſe vanum & nixum authoritate Cteſiæ Gnidii, quem mendaciorum arguunt & Veteres & Recentiores Hiſtorici, Philologi, Theologi. Secundò, in ipsâ hâc Hiſtoriâ non obſcurum apparet Veritatis Deliquium. putatur enim Ninum exercitum duxiſſe adverſus Babylonios. nunc verò ejectus fuit

fuit unquam Ninus? num deturbatus hâc ſede, ut neceſſe illi fuerit eam per bellum recuperare, Babylonem nondum fuiſſe conditam illo imperante, vel in hanc lucem edito. At ſi Ninus fuit filius Beli & hic à Nimrodo deſcendit, ut vulgata fert opinio, quomodo poteſt dici nondum Babylonem fuiſſe conditam, quæ initium fuit Regni Nimrodici? *Tertiò*, illud quod de Ægyptiis domitis producit & quod maximè noſtræ controverſiæ tangit lineam, cum ſcriptura planè non conſpirare videtur. tempore enim Abrahami nec Ægyptus nec terra Canaan ſubjecta fuit Regibus Aſſyriorum: regnabat enim illo tempore in Ægypto Pharao, ad quem Abrahamus fame ingruente divertit, de quo *Gen. cap. 12.* vocat illum Regem Euſebius Parothonem; in Palæſtina autem rerum eo tempore potitus erat Abimelechus; neque ullius alterius Domini harum terrarum in Scripturâ vola vel veſtigium.

VIII.

VIII.

Cum immunitate illa primùm in domo Asſyrophanis ortam fuiſſe idololatriam, & ex privatâ familiâ ad plures ſerpſiſſe dicitur, non probatur; cum adhuc controverſa ſint initia idololatriæ, nemo originem illius cum natalibus Aſylorum combinet, cui aliâs dextra mamilla ſalit; & diſputetur, num ante diluvium illa jam radices egerit in Cœtu profanorum. Sanè, ſi ex Rabbinis Jarchium conſulamus, refert ille Idololatriæ natales ad tempora Enoſi; ſi Hieronymum in quæſtionibus ebraicis, reſpondebit: plerique Ebræorum arbitrantur tunc, ſcil. nato filio Sethi Enoſcho, primùm in nomine Domini & in ſimilitudine ejus fabricata idola eſſe; ſi Danæum videamus ex recentioribus, & Seldenum, poſterior de DIs Syris ad locum *Gen.* 4. ita nos informabit priori non δύσφωνος; *tunc profanatum eſt non invocando Nomen Jehovæ, hoc eſt*, ac ſi dixiſſet, λόγον ſacroſanctum illud Nomen

men quod totius Universi Creatorem & Dominum designet rebus creatis tributum, quibus conspirant Paraphrastes Onkelos & Arabs Interpres in Pentateucho Erpinianæ editionis, imò ipse Al-Coranus nomina Idolorum ante diluvianorum portentosa recenset, Wadda, Suloaha, Jagocak, & Nacera, Azoara 81, quæ producimus, non quod sententiæ huic subscribamus; sed ut assertionis audaciam castigemus. Nec si à temporibus antediluvianis recedamus & in postdiluvianis quæramus imaginum sculpturam, effigiationem & cultum in domum Assyrophenis migrandum erit, & ex illa protrahenda statua, mali corvi malum ovum; sed si Epiphanium consulamus, à quo non dissonant Ebræi, in Opere adversus hæreses, deprehendemus illum asserere tempore Sarug cœpisse Idololatriam & Therachum primum fabricasse Idola & propterea ab Abrahamo reprehensum.

IX. Tran-

IX.

Transimus in publicum, quò nos ducunt, qui ex simulacro Assyrophenis originem duxisse Asylum in Regno Assyriorum existimant; sed & hæc statua nutat. Nam primò nullus probatus Scriptor adduci potest, qui asserat à Nino Patre Belo erectam fuisse statuam; multò minus publico edicto sancitum fuisse, eos omnes, qui quorumcunque criminum rei ad eam statuam venerabundi accederent, delictorum veniam & pœnarum impunitatem consecuturos, minimè ex hâc statuâ ducendum Idololatriæ initium & Templum tandem magnificentissimum Babylone Belo sub titulo Jovis vel Saturni erectum & sacrificiis dedicatum fuisse, ut volunt, qui nebulas pictas in pariete sectantur.

Non quidem negamus Hieronymum inclinasse in hanc sententiam & offendi loca in caput 46. *Esaiæ 10. Jeremiæ 23. Ezechielis*, nec non

Oſeæ ſecundum; verùm nec ſtatuæ diſertam mentionem facit, quæ in Aſylum proſtituta fuiſſet, nec prima vult exhibere rudimenta Idololatriæ, ſed tantùm hoc docere Iſraëlitas imitatos fuiſſe Aſſyrios, qui Belum fuerint religiosè venerati; nec tandem meminit alicujus Templi in honorem hujus Deaſtri erecti. Euſebius verò in Chronico Interprete Hieronymo plus non dicit, quàm Belum Aſſyrios Deum ſibi nominaſſe.

Secundò, ceſpitant Scriptores in Authore. Guilielmus Pariſienſis, vult Belum filio ſuo idolum feciſſe; alii Ninum patri Belo illud ſtatuiſſe aſſerunt; prætereà Epiphanius originem Idololatriæ non à Nino, ut ſuprà notavimus, ſed à Tharacho ducit: ita enim ſcribit ſub initium Panarii: Ab eo Nachore ſcil. Thara genitus eſt, ex quo tempore ſimulacra primùm ex argillâ, figulinoque opere reperta ſunt artifice Thara. addit, in hujus ſceleris pœnam filium ejus Aran ante ipſum fuiſſe

isse mortuum, atque ita dignam factis suis mercedem reportasse, cùm & ipse filii sui jacturâ vicissim quodammodo provocatus sibi primus in Cappadocia defuncti imaginem fieri jusserit, unde etiam Rabbini Tharan statuarium fuisse tradunt. Denique si gentilium scriptoribus indulgendum, forsan Cecropi vel Prometheo adscribendum esset inventum Idolorum. Quò vergunt quoque illa Lactantii, *non dico poetas esse mentitos, sed primum hominem Prometheum simulacrum hominis formasse ex pingui & molli luto ab eoque natam primo artem & statuas & simulacra fingendi, siquidem Jovis temporibus fuit, quibus primum Templa constitui & novũ Deorum cultus esse cœperunt.*

Tertiò, qui huic sententiæ subscribunt putant se invenisse non leve præsidiũ in libro *Sapientiæ c.14. v.15.* ubi Philo refert inter alia, *quod acerbo luctu dolens Pater citò sibi rapti filii fecerit imaginem*

 & illum

& illum qui tunc quasi homo mortuus fuerit, nunc tanquam Deum colere cœpisse & constituisse inter servos suos, facta & sacrificia. Verùm frustra. nam primò, si ponamus hæc vera esse, cùm tamen liber hic non sit in Canone; si ponamus cum antecedentibus in hoc capite & decimo tertio probè conspirare, de quo etiam disputari potest, non de filio hîc sermo & ponente statuam Patri, sed de Patre acerbo luctu correpto, qui filii rapti fecerit imaginem. *Secundò*, si verba hæc premenda, potiùs oppositum ex illis concludendum, nempe Tharam acerbo luctu dolentem filio Harano simulacrum quoddam statuisse, adeoque in sententiam Epiphanii concedendum. *Tertiò*, qui siliquas præferunt frumento, glandes frugibus, Assyrophani potius quàm Nino ex hoc ponere colorem quærerent, Diophanti Lacedæmonio assurgerent, quem dejectum suprà sufficienter existimamus.

X.

Ducit autem Argumentum, in quod incidimus, in uberiorem discursum illorum quæ tacta sunt. Et quidem *primò*, in seriem illorum Regum, qui passim apud historicos & Chronologos recensentur, in quâ nullum nos Belum agnoscimus, qualis pingitur, sed Nimrodum, cùm nomen haberet dirum & infame (notat enim rebellem, Desertorem, Apostatam) abolitâ Nominis pristinâ maculâ *Belum* cœpisse vocari, hoc est, *Dominum*, stabilito Imperio existimamus. Stat pro nobis I. Scriptura, quæ dicit *principium Regni Nimrodici fuisse Babel, & Erech, Acad & Chalne in terra Sinear, unde egressum in Assyriam ædificasse Niniven & Rehoboth Urbem & Chalach &c. Gen. 10. vers. 10.* adeoque falsitatis arguit illos, qui Semiramidi tribuunt extructionem Urbis hujus; hic fuit *robustus Venator coram Domino*, vel simulatè prætextu Religionis

nis homines ſibi aſſocians vel contemptim per ſummam impudentiam *alas barbas de Dios*, ut Hiſpani loquuntur: hic enim principium ſui Regni Babylonem eſſe voluit, ut eam extruxerit, Duxque illorum teſte Joſepho, qui turrim illam prægrandem ædificare conſtituerunt apud ſe, & exinde ad Arach ſive Edeſſam Meſopotamiæ Achad ſive Niſibim Chalnem, quæ poſtea dicta *Seleucia* in terra Sinear vires ſuas promovit.

II. Hiſtoria profana: Abydenus apud Euſebium dicit Belum Babylonem muro cinxiſſe. Curtius lib. 5. ingenuè fatetur Urbem Babylonem Semiramidem condidiſſe, vel ut plerique crediderunt Belum, cujus Regia oſtendatur; ipſe Herodotus plus non dicit quàm Semiramidem aggeres χώματα, quibus Euphrates coherceretur, conſtruxiſſe.

III. Teſtimoniũ B. Auguſtini, qui lib. 16. de Civitate Dei cap. 3. & 4. inter alia hæc habet; *Babylon interpretatur Confuſio,*

fusio, unde colligitur Gigantem illum Nimrod fuisse illius conditorem, quod superiùs breviter fuerat intimatum, quem sequuntur Drusius ex Calvinianis, & ex Pontificiis Pererius ex nostris autem B. Gerhardus.

Secundò; in conjecturam de Nino, quod & ille non diversus fuerit à Nimrodo; sanè Mercator eundem esse voluit, quem Græci & Latini appellant Ninum, quæ de utroque dicuntur mirificè conspirant. Quod enim in Scriptura dicitur de Nimrodo, illum fuisse potentem terra & promovisse latè Tyrannidem, idem de Nino Justinus refert, quod habuerit initium in Chaldæa & Mesopotamia, in qua Civitates illæ quatuor, quas assignat Nimrodo Moses, idem Historici observant in Nino, qui Babylonem incoluisse dicitur; quod denique dicitur, illum ingressum modo militari in Assyriam ut quidem vox egredi usurpatur apud Scriptores sacros *2. Sam. 11. vers. 1.* & Arabas Elmaci-

 num

num ſpeciatim in hiſtoriâ Saracenica & ædificaſſe Niniven, de Nino aſſerit, Diodorus lib. 3.

Tertiò; in originem Idololatriæ apud Chaldæos, quam putamus potiùs tribuendam Contemplationi Siderum, cui principes hujus gentis dediti. non diſſimulare potuit hoc Genebrardus qui libro primo Chronologiæ docet, quòd vetus idololatria, quam retinuerunt Perſæ, Chaldæi & reliqui Orientales magis fuerit poſita in cultu planetarum & ſiderum, id eſt, ut loquuntur Politici, cœli & Idolorum, quæ non modo ſiderum tanquã Deorum immortalium ſimulacra & ſigna haberentur; verùm etiam eorum divinitatis & virtutis domicilia ſedesq; & corpora. Nec abnuit Golius.

Omne autem punctum videtur hîc tuliſſe Gregorius Nazianzenus Oratione ſecunda de Theologia ita diſſerens: *Etenim Deum quidem, ac primariam illam cauſſam, natura quidem omnis, rationis par-*

particeps appetit. Cæterum, ob eas, quas dixi caussas, viribus deficitur. Languens autem desiderio, maleque omninò affecta ægerrimeque hoc damnum ferens, secundam, ut dici solet, navigationem init; ut scilicet, vel ad eas res, quæ sub aspectum cadunt, oculos flectat, ac quampiam earum pro numine colat, pernicioso utique errore labens, (quid enim in omnibus rebus, quæ oculis cernuntur, excelsius, & divinius est eo, à quo cernuntur, ut illud adoretur, hoc adoret?) vel per spectabilium rerum pulchritudinem, ordinemque, Dei cognitionem assequatur, atque ad ea percipienda, quæ oculorum obtutum fugiunt, ducibus oculis utatur; non autem per earum rerum, quæ oculis subjectæ sunt, magnificentiam, Dei jacturam faciat. Hinc alii Solem, alii Lunam, alii Siderum magnitudinem, alii cœlum quoque ipsum una cum illis, (quibus, pro motus qualitate, vel quantitate, mundi gubernationem administrationemque tribuerunt, alii rursus propter necessa-

necessarium usum, terram, aquam, aerem, ignem, quod his sublatis, humanæ vitæ salus incolumitasque constare non possit: Alii denique quicquid temerè ex rebus aspectabilibus, ipsis occurrit, coluerunt, pulcherrima quæque eorum, quæ oculis obversabantur, Deos sibi proponentes. Nec defuerunt qui imagines atque figmenta divinis honoribus affecerunt, primum quidem propinquorum ac necessariorum, ij videlicet, qui vehementiori luctu afflicti erant, corporique addictiores; ac proinde homines vita perfunctos, monumentorum honore prosequebantur: postea autem alienorum quoque, nempe ij, qui multis post eos seculis extiterunt, ignoratione videlicet primæ naturæ, ac serie per manus ipsis à majoribus traditi honoris, quasi justi, & necessarii, Consuetudo enim temporis longinquitate confirmata, pro lege habita est. Nonnulli etiam principatum, atque imperium colentes, & corporis robur laudibus efferentes, ac formæ venustatem admirantes, eum

qui

qui ab his rebus ornabatur, temporis progressu in Deorum numerum ascripserunt; ad hujusmodi imposturæ subsidium & patrocinium, fabulas quasdam assumentes. Dein vitiosissimi quique, vitia ipsa fœdosque affectus, Deos esse censuerunt, aut certe sub deorum nomine coluerunt; iram nimirum, cædem, libidinem, temulentiam, reliquaque ejus generis, non æquam nec honestam hanc scelerum suorum excusationem nacti. Atque eos partim humi reliquerunt, partim sub terram abdiderunt, (hoc unum satis consultè) partim in cœlum evexerunt, ô ridiculam hæreditatis partitionem. Ac deinde figmento cuique nomen aliquod vel Deorum vel dæmonum tribuerunt; pro erroris nimirum licentia, solutaque liberate. Statuasque insuper erexerunt, easque adeo magnificas, & excellentes, ut precio ipso vulgi animos inescarent. At hæc victimarum cruore, ac sacrificiorum nidoribus; quidam etiam obscœnis flagitiis, hoc est furore ac cædi-

cædibus, hujusmodi numina honorari existimarunt. Tales quippe honores, Diis talibus haberi conveniebat. Eo etiam amentiæ quidam proruperunt, ut bestiis, & quadrupedibus, & reptilibus, atque horum turpissimis quibusque maximeque ridiculis, se ipsos dedecorarent, iisque Dei gloriam assignarent. Ut non sit facile constituere, utri magis contemnendi sint, iine qui adorabant; an qui adorabantur. Quanquam fortasse multo majore contemptu, atque ignominia digni erant, qui res hujusmodi adorabant: quoniam cum ratione præditi essent, Deique gratiam accepissent, deterius meliori prætulerunt. Atque hæc fuit impuri illius hostis impostura, rei honestæ specie ad malum abutentis, qualia sunt pleraque illius facinora. Nam cùm eorum cupiditatem, ad Dei conquisitionem, oberrantem accepisset: ut principatum ad se transferret, ac desiderium illorum eluderet, quasi cœcos via cujusdam cupiditate flagrantes manuducens, alios aliò præci-

pites

pites egit, atque in unum quoddam mortis exitiique barathrum dispersit.

XI.

De statua Nabuchodonosoris constat ex Danielis tertio, versiculo primo & sequentibus, quanquam illud adhuc inter eruditos controversum sit, num Rex illam pro Deo haberi & coli præceperit, cùm in versiculo decimo quarto contradistinguatur Diis Nabuchodonosoris; præterea si Rex quæsivisset cultum religiosum, cùm vivus hanc statuam posuerit in campo *Dura* Provinciæ Babylonicæ, sibi potiùs eum exhiberi voluisset, quàm simulacro, quod aliàs absentis vicarium est exemplum. Quanquam autem non exactè constet, cujus hæc statua fuerit imago, non negamus tamen Regem cultum religiosum exegisse, ut quo tempore audituri essent, cornu, fistulæ Sambucæ, Psalteriorum symphoniæ & omnium generum Musices, cadentes adorarent imaginem auream, quam erexerat.

XII.

XII.

Tractavimus originem, qui Discursus nos promovet ad Antiquitatem Asylorum in Gentilismo examinandam. Qui putant Asylorum jura cum statuis cœpisse, præmittunt Ebræorum Asylis immunitates gentium Urbibus Receptûs, statuas Confugii, atque ita censent Altaris & Tabernaculi immunitatem simul cum ipso Altari & Tabernaculo ortam fuisse, sive de primo hoc intelligatur Altari gentis illius, quod erectum Mense tertio egressionis de Ægypto; sive de altero, quod simul cum tabernaculo perfectum fuit, prima die anni secundi; Cum autem egressi sint Israelitæ ex Ægypto Anno Mundi bis millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo tertio, diluvii septingentesimo, nonagesimo primo, consequens esse, vel illiusmet anni mense tertio, si casus contigerit, si ad primum altare referatur, vel integro anno post, si de secundo altari intelligatur, introductam esse

immu-

immunitatem altaris, vel non longè post.

Tres priores verò Refugiorũ Civitates post elapsos triginta novem vel quadraginta annos segregatas fuisse à Mose trans Jordanem post devictum Sehonem Regem Amorrhæorũ & Ogum Regem Basanis, distributâ illorum terrâ tribubus Rubenis, Gadi & dimidiæ Manassis circa Annum Mundi bis millesimum, quadringentesimum, nonagesimum secundum vel tertium, Diluvii octingentesimum trigesimum primum, reliquas tandem tres Civitates constitutas per Josuam, Mosis successorem, post devictam, captam & in reliquas tribus distributam terram Chanaan, post alios decem circiter annos, nempe anno bis millesimo, quingentesimo secundo, vel tertio, diluvii octingentesimo quadragesimo primo. Si itaque admittatur statua Assyrophenis & Beli, in gentilismo fuisse Asyla ferè quinque seculis priora illis, quæ in populo DEI frequentata fuisse

fuisse, admittendum erit, cùm ipsi Chronologi illam erectionem statuæ Beli referant, vel in Annum Mundi 1997; vel bis millesimum Diluvii 344. Noæ 44. Semi 442. Arphaxad; 342, Cainan 307. Salæ 277 Eber 247. Phaleg 213. Rehu 133. Sarug 101. Nachor 121. Thare 92. Nini 4. Imperii Assyriaci 69. Si denique templum illud, quod Semiramis Belo Socero fundasse fertur Asylum fuit primum, id omnium toto Orbe Templorum, quæ Asyla fuerunt, extitisse, pari pænè antiquitate cum immunitate statuarum dicendum erit, cùm paulò post Nini Mariti mortem illud construxerit, mortuus enim dicitur Ninus anno Mundi bis millesimo quadragesimo octavo.

XIII.

Sed hæc inter scorias deputanda esse non uno indicio constat. Nam primò suprà demonstravimus statuam illam Assyrophenis & Beli esse somnium & mentis semisepultæ ludibrium, arenam,

cui

cui veritas non possit inniti, & deceptos illos, qui nimiùm audacter Relationibus quorundam confisi simulacrum phantasiæ pro statuâ fuerint amplexi.

Secundò, prodit se fucus dum Altaris apud Israëlitas immunitas inchoata esse dicitur ex usu mero; propterea quod cùm Israëlitæ in Ægypto vidissent, & fortè experti essent illorum immunitatem, tantundem altare vero DEO erectum valere voluerunt. Quis enim credat immunitatem accessisse Altari Domini citra illius voluntatem ex usu mero, qui Israelitas tàm strictè ad illa unicè voluit respicere, quæ ipse in hâc Republicâ constitueret? quis admittat DEUM voluisse, ut Israelitæ ad Exemplum Ægyptiorũ attenderent & imitarẽtur illos, à quibus recesserant beneficio singulari, miraculo stupendo, Altari affingere, quod superstitio Ægyptiorum locis imprudenter contribuit? quis concedat Altaria fuisse erecta in Ægypto, quæ Asylorum privilegiis fuerint ornata,

ornata, quomodo à ſtatua ad aras delapſa eſt Ægyptus. Unde etiam diffiſi ſibi disjunctivè illam inchoationem immunitatis tribuunt vel uſui mero, vel occaſioni acceptæ ex illo Domini præcepto *Exodi vigeſimo primo*, ubi homicida doloſus avelli jubetur ad necem.

Tertiò, Templũ illud, quod Semiramis nurus Belo Socero erexiſſe fertur, nullius probati Hiſtorici authoritate fulcitur; unde aliqui voluerunt Ninum tale conſtruxiſſe Patri, & variis ſacrificiis dedicaſſe. Secundò de Semiramide etiam ex Herodoto, Juſtino & Diodoro hoc tantum habetur, muros Babylonios vel excitaſſe vel auxiſſe. Nec à Scopo telum jaciunt, qui Diodorum Siculum putarunt potius Rhetorem egiſſe probabiliter declamantem in geſtis Semiramidis, quàm hiſtoricum fide dignum. Tertiò, ſi ponatur ab illâ fuiſſe Templum Belo ædificatum, nondum evictum erit illud jure Aſyli gaviſum fuiſſe; cultui & ſacrificiis eſſe potuit deſtina-

tum

tum citrà immunitatem illam, quæ non necessaria connexa cum Templo vel cum illis finibus, qui aliâs in extructione ædium sacrarum observantur.

XIV.

Occasionem hæc subministrant disserendi ulterius de Semiramide & antiquitate Asylorum inter Gentiles, ductis non uno argumento.

Existimamus autem Imperium Assyriacum non esse tantæ vetustatis, quantæ vulgò putatur. referunt enim Chronologi initium illius vel in annum millesimũ, nongentesimum, nonagesimum septimum, vel in annum Mundi bis millesimum, & faciunt Abrahamum Nino σύγχρονον. Genebrardus quidem ita, ut dicat Abrahamum Anno Mundi 1994. fuisse quadraginta & novem annorum; alii verò aliter, qui in quadragesimum tertium Nini annum rejiciunt nativitatem hujus Patriarchæ; tempore verò Abrahami fuisse aliquam Monarchiam Assy-

Aſſyriorum tàm amplum imperium, ut deſcribitur, nullo indicio conſtat ex ſacris.

Oppoſitum potiùs deprehenditur non obſcurè, ſi attentè conſideretur caput Geneσεως decimum quartum. Dicitur enim ibidem: factum eſt temporibus Amraphelis Regis Sinearis & Ariochi Regis Ellaſaris & Cedorlaomeri Regis Elami & Tidhalis, Regis gentium, ut inirent bellum contra Berahum Regem Sodomorum. Siſtitur hîc Rex Sinear Amraphel, ſiſtitur ut terræ Sinear, hoc eſt, Babylonis dominus, ſiſtitur deniq; ut Rex particularis, cujus tẽpore in Aſia quoq; alii fuerũt quos aſcivit procul dubio, quia ipſe nõ videbatur ſufficere, nempe Rex Ponti, Rex Elamitarum, Rex gentium, qui omnes & ſinguli tam latè imperitaſſe non videntur. Hærent hîc Interpretes & difficultatem objectam vident, atque nunc hac nunc alia arrepta tabula portum petunt. Ebræi per Amraphelem intelligunt

Nim-

Nimrodum, qui authoritate Chronologorum premũtur, qui obſervant Bellum hoc geſtum fuiſſe anno plus minusve octogeſimo Abrahami, quinquennio poſt quàm ingreſſus eſt terram Chanaan, quam adiit ſeptuageſimo quinto ætatis ſuæ, ut conſtat ex *Gen. 12. verſ. 5.* nec non Joſephi, qui illum vocat *Marpheden.*

Eupolemus apud Euſebium putavit Reges illos fuiſſe omnes Armenos, ſine ullo indicio; cùmque diſſitos contendiſſe cum Regibus terræ Sodomeæ non ſit probabile, ab interpretibus omnibus, quos quidem vidimus, deſeritur. Quanquam, ſi hoc eſſet, pro nobis ſtaret, ſtabiliendo Imperium Armeniorum, & ſubducendo veſtigium omne Aſſyriaci illius Imperii. Diodorus Bellum hoc vocat πόλεμον ὁ ἐπολέμησαν οἱ πέρσαι. at ſi hi Reges fuerunt Perſæ, Imperium Aſſyriorum non tàm amplum fuit, ut fuiſſe fingitur, & falſum erit, quod de Nino refertur illum

Perſas

Perſas & Suſianos ſuo adjeciſſe Imperio.

Aliquid ſibi dicere videntur, qui ex Joſepho volunt hanc expeditionem factam ductu & auſpiciis Marphedis Regis Aſſyriorum, quem volunt fuiſſe illum, qui in ſerie Aſſyriorum Imperatorum dicitur Ninias ſive Zameis. Sed & hic nullum præſidium. nam Nomen Marphes apud Joſephum confictum nec ullibi alibi apparet. Prætereà quomodo probabitur Marphedem illum eſſe Niniam, quem aliàs fingunt otio & ventri deditum. Inſuper credibile non eſt hunc Imperatorem collaterales admiſiſſe Reges, Regem Ellazar, quam quidam volunt Hellada in Cœle-Syria, probabilius Pontum in Aſia minore, cùm tamen ſecundum Diodorum & Cteſiam Pontum ſibi ſubjecerit Ninus, Regem Elamitarum ſive Perſarum, Thadal Regem Gentium, qui ita ſecundum quoſdam dicitur, quia non unius linguæ gentis, ſed aliquot populorum, qui diverſo idiomate inter ſe utebantur,

tebantur, Imperator in Syriâ palæstina. Unde etiam ductus difficultate rei Genebrardus succubuit, & Hugo Grotius cùm nullum posset nominare, qui Amraphel ex serie Imperatorum Assyriacorum, maluit silentio illum transire, quàm cum cæteris Interpretibus nugari. Adde quod Cederlaomori à quibusdam præcipuæ tribuantur partes in hoc Bello, principatus inter cæteros. Nec abnuit Gregorius Abulpharajius, qui pagina mihi 13. scribit: Abrahamum Bellum cum Regibus Cederlamoeri gerentes ipsos devicisse.

Secundò; quæ de Semiramide vulgata plæraque inter fabulas sunt referenda, nec tantæ illa est vetustatis ut dicitur. Fabulosa est illius origo, quasi Patria Ascalonitis, filia Deæ cujusdã Syræ nomine Derceti sive Artagatis vocatæ, quæ natum ex furtivo concubitu in petrâ exposuerit, seipsam verò in lacum Divorum abjecerit, ubi facta sit Dea, altera ex parte piscis, ut Diodorus refert, à quo dissen-

dissentit Athenagoras. Fabulosa quoque ædificatio Babylonis & Ninive, quam Scriptura refert ad Nimrodum, quarum posteriorem Diodorus ad Euphraten collocat, Herodotus Tygri vicinam asserit, cui Ptolomæus & Plinius adstipulantur.

Vetustatis figmentum verò prodit ipse Herodotus, dum illam πέντε γενεαῖς quinque generationibus priorem Nitocri Labyniti Matre, quem Cyrus devicit, fuisse asserit; & si quinque generationes faciunt centum & quinquaginta Annos, Semiramis vix ducentis annis superior fuit Cyro Persarum principe. Quomodo itaque Uxor Nini, qui vixit tempore Abrahami, à quo usque ad Cyrum effluxerunt Anni mille quingenti, vel etiam sexcenti? *Tertiò*; si Semiramis Templum aliquod construxit potius Belocho Patri quàm Belo socero ædificasse illud & dedicâsse credendum erit. Ita enim Eusebius: Assyriorum octavus decimus Belochus annis viginti quin-

ti quinque cujus Filia Atoſſa, quæ & Semiramis, regnavit cum Patre Annis duodecim. quanquam & hæc chronotaxis non conveniat cum cæterorum calculo.

XV.

Non obſcurè ex dictis colligi poteſt, Antiquitatem Aſylorum in Gentiliſmo, quæ à quibusdam defenditur, eſſe merè imaginariam, cùm nec Aſſyrophenis ſimulacrum, nec Beli ſtatua, nec Templum illud à Semiramide extructum ſocero, ullo nitantur fundamento, nullâ gaudeant fide hiſtoricâ, adeoque Antiquitatis Gloriam manere ſartam, tectam & illibatã Aſylis Hebræorum, Urbibus Refugii in gente antiquiſſimâ, & cujus ex annalibus præ omnibus aliis, qui agnoſcere coguntur ſe in ἀδήλῳ & inani temporũ portione, umbras ſectari, veritas illimis haberi poteſt, quod uberius confirmat Aſylũ Cadmi & Herculis quod inter antiquiſſima Scriptores referunt. Cadmus enim regnare

gnare cœpit anno secundo bis millesimo quingentesimo, vigesimo octavo; quanquam alii illum ad annum secundum, bis millesimum, sexcentesimum vigesimum quintum referant, cùm jam octuaginta effluxissent ab exitu Israelitarum, Othniel & Phinees præerant populo; imò eundem alii rejiciant in Annum bis millesimum septingentesimum trigesimum septimum ad tempora Deboræ & Baraci, de quo Eusebius: Cadmus ad inquirendam Europam egressus Cadmæam condidit & Thebis regnavit. Cùm autem vicini circum populi repentè eum invasissent, quia undique in eum tanquam è terrâ confluxerant Spartas ὡς ἀπὸ γῆς συῤῥεῖν appellavit, ut ait in primo Phalaphatus.

Posterius itaque fuit hoc templum Thebanum, hoc Asylum Cadmi triginta quinque, posterius primis Civitatibus Refugiorum in terra cisjordanensi, posterioribus tribus annis viginti quinque recentiùs, si primæ in-

inhæreamus ſupputationi, longè poſteriùs; ſi cæteris, illud quod Herculis tempore dicatum vel vivo ad Canopium oſtium Nili, vel mortuo Athenis poſitum ab ejus filiis & nepotibus, quodque dictum *Ara clementiæ;* poſterius eſt præter propter ducentis annis Aſylo Cadmi; quod denique aperuit Româ condita Romulus, incidit in annumMundi termilleſimum ducenteſimum undecimum; ita computantibus etiam illis, qui aliàs pro vetuſtate Φυγαδευτηρίων ſtant, & cum Imperio Aſſyriaco cœpiſſe illa defendunt.

XVI.

Progredimur ad cauſam efficientem Aſylorum inter Gentiles, quæ ex diſputatis aliquâ ratione effulget. Si enim Cadmus primus fuit, quantum quidem conſtat ex Hiſtoriâ, qui conſtructis Thebis ad replendam urbem incolis Aſylum condidit, conſequens eſt, illum tanquam Authorem & Cauſam inter gentiles hujus Inſtituti eſſe laudandum.

 Si

Si condidit annis triginta quinque vel ad summum quadraginta septem; post priores tres Refugii Urbes à Mose designatas, probabile est Cadmum ad exemplum Ebræorum eodem jure voluisse insignire Thebas, adeoque caussam προκαταρκτικὴν, quæ exterius movet, fuisse Asylorum in DEI populo designationem.

Notum est Diabolum esse Simiam operum divinorum, & quæ Numen illud æternum constituit in suo Cœtu, studuisse, ut Tertullianus loquitur, æmulanter in alienis ab Ecclesia exprimere. Dum itaque secernerentur in terra sancta Urbes confugii, callidissimus ille Spiritus, ne suo aliquid deesset Regno, ad constitutionem consimilium media fama & rumore de illis sparso, gẽtibus tale quid persuasit, quod etiam Genebrardo non displicuit scribenti: *Mihi probabile est Cadmum ex Ebrais id accepisse: cum enim nuper civitates refugiorum essent constituta probabile est, spar-*

sparsum fuisse de illis rumorem quod per confugia homicidarum, accolis abundarent, ut inde inferre potuerit Cadmus, multo plures ad suam illam novam urbem confluxuros, si non solis homicidis, sed quorumcunque criminum reis impunitas concederetur.

Si denique condidit affectu quodam commotus in homines palabundos caussa προηγουμένη sive interna movens & impellens statuenda erit, Affectus quidã vel commiserationis, vel utilitatis; ad quam accedunt aliæ quoque, nempe plausibilis illa opinio quâ, homo intuitu alicujus mali etiam sibi quandoque imminentis in Media propendet conservationis & declinationis à se & suis horrendi excidii; quâ prætereà existimat Numini deberi Reverentiam & Deorum Voluntati Subjectionem, quorum ex inspiratione vel jussu Asyla cœperint, quæ proinde etiam sancta & sacra, quorum confugio quoque fierent nobilitata, quorum denique vindicta in il-

in illos, qui Jus Asyli violarunt, ostenderit, quantum curæ cordique sit Numini istiusmodi locorum Immunitas. accessit ratio communis Boni, cùm utile sit, esse in Republica φυγαδευτήρια in quibus per misericordiam consolatur illis, quos inopina miseria depressit.

XVII.

Non itaq; admitti potest, quod quidã sibi persuaserunt, Asyla esse vel juris divini, vel naturalis, vel gentium. Non primum; quamvis enim inRepublica ad jus divinum positivum sit recurrendum, gentiles tamen mandatum quoddam expressum à Deo accepisse de constituendis Urbibus Refugii vel lege data Israelitis fuisse obstrictos ad consimilem structuram, nullo argumento vel indicio demonstrari potest.

Non alterum; nam quæ Juris naturalis sunt illa intrinsecam dicunt Bonitatem & Honestatem, non variant, sed constantem retinent Essentiæ typum, & obli-

obligationem inducunt in conſcientia; quis autem hoc affirmet de Aſylorum inſtituto, quod adiaphorum, apud aliquas gentes fuit obſervatum, inter alias neglectum, neque conſcientiam ita conſtrinxit Reipublicæ vel ſummi Moderatoris in illâ, ut debuerit neceſſariò Aſyla erigere, & non potuerit pro arbitrio illarum conſtitutionem omittere vel declinare.

Non tertium, ſive enim Jus gentium dicamus illud, quod à conſenſu populorum ortum & vim obligandi accepiſſe dicitur; ſive id, quod mutuam quandam Gentium obligationem dicit, eò referri hoc inſtitutum nequit; cum ille Conſenſus populorum nequeat demonſtrari, neque unquam de mutua obligatione populorum & gentium circa hoc punctum quicquam innotuerit.

XVIII.

Quamvis autem in oppoſitum moveri poſſet, penes quàm plurimas gentes,

tes, ubi ſemel cœpit jus Aſyli, fuiſſe receptum illud ab aliis, ipsâ ratione naturali in Immunitatem talem ſponte ſua propendente, eodem ductu extra divinam conſtitutionem Ebræos Tabernaculo & altari tantum detuliſſe; nec non qui ad Templa confugiunt Dei tutelæ commiſſa, non invadendos eſſe oſtendiſſe, ſacrilegio affine eſſe illum, qui totum ſe committit & offert DEO, irreverenter haberi, adeoque in primum Decalogi præceptum impingi, ſi Templis, non illibata ſtet immunitas, eò confugientibus inviolabilis ſecuritas: nihilominus exiſtimamus perſiſtendum in illâ, quam theſi præcedenti expoſuimus.

Nam *Primò* non eſt conſequens: populi ad primam Aſylorum conſtitutionem proni fuerunt in receptum hujus inſtituti, ſuadente etiam ipſa ratione naturali; ergò illa conſtitutio eſt Juris vel divini, vel naturalis, vel gentium, cùm longè aliud ſit rationem aliquid

plau-

plausibiliter suadere, aliud legem insitam hoc vel illud dictare & imperare.

Secundò sub rationis Regimine & Directorio non tantùm sunt honesta & intrinseca bona, sed etiam utilia, commoda, vel privatis vel integræ Reipublicæ convenientia, & utut ratio faculam alluxerit, hîc suaserit gentibus receptionem hujus instituti, nondum conclusum erit, induxisse illos ad assensum sub ratione honestatis objectivæ. Sufficit, quod moverit sub propositione alicujus boni, commodi & convenientis. Successit Numus permutationi & à populis facilè fuit apprehensus, utut illa fuerit vetustissimæ, ut volunt, originis; quis tamen concludat Numi receptionem & usum esse vel juris divini, vel naturalis, vel gentium; aut receptum esse illum in locum permutationis, sub ratione Boni cujusdam honesti & non potius utilis & ad commercia commodi.

Tertiò; posito etiam sub ratione honesti gentilibus fuisse vel persuasam à quibusdam receptionem, vel rationis etiam stricturas eò deduxisse: nondum tamen stabit ex jure divino, vel naturali, vel gentium hic fœtus: non tantùm, quia multa gentilibus vel à Sacerdotibus, vel à Rerumpublicarum Rectoribus sunt persuasa tanquam honesta, quæ tamen præter umbram illorum nihil habuerunt, verùm posito etiam quod ratio affulserit, non una eademque est Honestatis ratio, nec unus idemque illius gradus, sed insignem habet & hæc latitudinem, ut quædam proxima legi, quædam verò prudentiæ, in hoc vel illo tempore & casu adhibendæ.

Alterum à Populo Ebræo deductum planè infirmum est. tùm quia non potest evidenter demonstrari Tabernaculum & Altare habuisse Jus Asyli. quanquam probabiliter conjici possit hoc ex argumentis suprà à nobis productis; tùm

tùm quia si habuerunt hoc jus, nunquam credendum erit habuisse illa id ex consuetudine aut dictamine rationis naturali, sed potius ex dispositione divina, cujus vestigia suprà ex scripturis sunt ostensa; tum quia Respublica Ebræorum erat Theocratia, penes quem itaque κύριον & κράτος in illâ, penes ipsum fuit designare loca immunitate gaudentia vel gavisura: non verò penes illum, qui subjectus in totum regimini divino, atque non secundùm rationis suæ dictata debuit sibi vel hoc vel illud construere, sed ad voluntatem summi Rectoris unicè respicere.

Tertium non urget, quia, si ponamus, rationem ostendere illos, qui confugiunt ad Templa debere esse securos: non tamen id ostendet sub ratione alicujus præcepti strictè sic dicti; cùm, ut suprà dictum, ratio non uniformiter se habeat ad sua subjecta: præterea multa sunt, quæ ratio ita suadet, ut probabiliter agat, & oppositum quoque

que illius probare poſſit. Utut itaque rationi conveniens ut aliquo fruantur umbraculo, qui ad DEUM ſe conferunt: non tamen diſſonum etiam illi indignos eſſe conſpectu & tutelâ DEI, ſceleratos vel pollutos, neq; ſordium ac vernilium carcinomatum receptione Templa eſſe contaminanda. Secundò, ſi ſubducatur res conſecrata DEO ſacrilegii formam induit illa ſubductio, & ſub genere furti comprehenditur. at ſi negetur alicui immunitas in loco ſacro vel avellatur, longè alia eſt ratio. partim quia ipſæ res non ſunt contaminatæ aliquo ſcelere, excludendus verò aſylo reus eſt, & vel culpæ vel ſceleris alicujus labe aſperſus; partim quia talis ſe non offert DEO in Miniſterium, ut ſacri alicujus officii intuitu fiat inviolabilis, ſed ſolùm ut pœnas & ſupplicia declinet; partim quia ſtante hâc ratione etiam, ſceleratiſſimis eſſet in Templis & iſtiusmodi locis refugium: cum tamen DEUS voluerit abripi ab Altari, qui manus ſan-

ſanguine proximi impiè cruentaſſent. Tertiò, Numen non irreverenter habetur, etiamſi Templis talis immunitas non aſſignatur; imò potiùs in injuriam illius cedit, ſi fiat ſtabulum etiam nequiſſimorum. niſi velimus dicere, DEO aliquid adverſi commiſſum, quia Joabus abreptus ab Altari ob geminam cædem occiſus eſt, de quo *1. Reg. 2. v. 29, 30.* & ſequentibus.

XIX.

At dices: ſi res ita ſeſe habeat cum Aſylis, ut ſint inter gentes conſtituta à Cadmo, ab hominibus cœcis ab Herculis filiis & nepotibus profecta ex κακοζηλίᾳ, Dæmonis aſtu ſacra Judæorum imitante, opinione tantùm plauſibili affectus, vel in aliorum miſeriam proni, vel in propriam utilitatem inducti, ſi nullo jure gaudent vel divino vel naturali, vel gentium. Num non itaque ſatius eſſet illas inter βδελύγματα referre, quàm probè conſtitutæ Reipublicæ ornamenta?

Verùm

Verùm hæc nondum demonstrant Asylorum institutum esse nullo superstructum fundamento, esse tubera Reipublicæ, non ubera Misericordiæ. Nam primò, quamvis inter gentiles non fuerint absque sordibus & ex causis recensitis initia duxerint: in se tamen spectata non vitiosa fuerunt, nec illaudabilia; quia, alias nec ipse Deus velle potuisset, ut illa in terra, quam hæreditariam suis fecit, abundarent. Secundò, quamvis in Gentilismo nec juris divini, nec naturalis, nec gentium fuisse ostensum sit; dantur tamen tertia, quæ indifferentia; talia, quæ juris humani vel civilis esse possunt, quibus suus in ordine Institutorum relinquitur laudabilis ordo; Tertiò; si præscindantur illæ causæ, quæ gentes induxerunt ad Asylorum constitutionem, & aliquid habuerunt vitii, commodè dici potest æquitate aliàs niti illam, ut scil. innocenti subveniatur, sanguis humanus temerè non effundatur, Misericor-

dia miseris, Tutela infortunatis præstetur.

XX.

Causa etiam Asylorum ut sic fuit potestas summa in Republicâ & adhuc est, adeoque hoc institutum sese refundit in Majestatem illius, qui Reipublicæ præest, utut in Gentilismo & Asylis Ethnicorum, quâ talibus suprà recensitæ causæ obtinuerint.

Nam primò; cùm Israelitarum Respublica fuerit usque ad Regum tempora Theocratia & κύϱιον illius penes DEUM, ideoque in ipsum referenda erat Asylorum constitutio, unde colligitur in illa Republicâ, quæ diversi ordinis & per Regem vel Principem gubernatur, qui vicarius DEI in his terris, cùm κύϱιον sit penes talem ab ipso ejusque potestate divinitus delegatâ procedere hoc Jus, hanc immunitatem localem, hoc institutum Asylorum.

Secundò, cujus est condere leges in Republicâ, ejusdem quoque est jura par-

particularia & privilegia concedere, loca aliquâ immunitate munire; atqui summæ potestatis est leges sancire, ut docet Aristoteles.

Tertiò Imperatoris, Regis vel Principis, qui habet majestatem, est prospicere Reipublicæ, ne detrimentum capiat, ut omnia, quantum fieri potest, optimè sint in illa disposita, & justitia cum æquitate regnet, gladii fulgor terreat improbos, Gratiæ umbraculum tueatur miseros. huic autem intento vel maximè inservit Asylorum institutum, Ex officio itaque agere censendus erit, qui summâ gaudet in Republicâ potestate, si loca istius conditionis & juris designet.

XXI.

Sufficienter, ut quidem existimamus, egimus de Asylorum origine, Antiquitate, Causis: quapropter transimus ad Objectum, sive materiam, circa quam illa Loci immunitas fuit occupata, cui profuerit ex Gentilium instituto. Primò autem

autem jure Asyli fuisse gavisos Servos in Gentilismo quidam opinantur; secundò criminum qualiumcunque reos; tertiò Obæratos. Quanquam verò non negamus hæc tria genera hominum confugere solita fuisse ad Asyla, & ibi aliquam impetrasse veniam: non tamen illis subscribimus, qui statuunt, primos confugas fuisse servos, & Assyrophenis instituto, stabilire nituntur, cùm supra sit dictum, quid de hoc sit sentiendum, quique secundi ordinis homines confugisse ad statuam Beli primùm asserunt, & huic tibicini nituntur, quem infirmum esse latè in dictis ostendimus. Melius itaque & prudentiùs agunt, qui testimonio Taciti utuntur scribentis: Complebantur Templa pessimis servitiorum, & addit eodem subsidio obæratos & tandem suspectos capitalium criminum fuisse receptos. ex quo Justus Lipsius numerum illum confugarum congruè deducit.

XXII.

XXII.

Ipſa eſſentia ſive forma, ut loquuntur, talium Aſylorum conſtitit in immunitate, quæ pro varietate ſpecifica vel individuali quoque variat. Nota eſt diſtinctio immunitatis in perſonalem, realem & localem; cui quidam addere volunt aliam adhuc ſpeciem, quo veritatis titulo, non attinet nunc disquirere. Ultima verò ex recenſitis ita intima eſt Aſylis, ut ne quidem concipi poſſit Aſylum absque immunitate locali, quæ tamen, ut dixi, variat. Servi enim fugientes ad Aſylum illud, quod quondam ad Canopium Nili oſtium, libertatem conſequebantur, in cæteris verò tantam indulgentiam nō exſpectare poterant, ſed tantùm vel impunitatem ex occaſione delicti vel facultatem contra Dominos juſtam querelam proponendi, ut tum ex legibus, tum ex Hiſtoricis conſtat. Criminum rei vel ſuſpecti & quidem capitalium Aſylorum

rum jure uſos ita fuiſſe, ut nemo manus cuidam inferre potuerit, ex laudato loco colligimus. Ex quo quidam ulterius concludunt: ſi illis criminibus conceſſa fuerit impunitas in iſtiusmodi locis, multò magis levioribus. Interim Palladis Templum Pauſaniæ Majeſtatis accuſato apud Lacedæmonios plus profuit, quàm ejusdem ædes Caſſio Bruto apud Romanos. Conſulantur Hiſtorici. Obærati denique ita Aſylorum jure defendebantur, ut quidem æs alienum illis non remitteretur, interim tamen nulla vis illis vel vitæ illorum inferri potuerit, utut non infortunio fuiſſent dejecti in miſeriam, ſed ſpontè luxui & crapulæ litantes ſeſe in illam præcipites dederint.

XXIII.

Finis, uſus, effectus fuit in genere primò tutari confugas, ſpeciatim verò indulgere hoc vel illud Bonum, prohibere ne confugæ vel caperentur vel extra-

traherentur, vel carceri manciparentur; deniq; cavére, ne verbo aut facto impunè læderentur. Contaminavit verò Asyla Gentium Abusus deterrimus, de quo ipse Tacitus conqueritur. Commemorat autem duobus in locis: *Ubi ex vi*, inquit, *promptum est quod multorum intimis quæstibus tegebatur; incedebat enim deterrimo cuique licentia impunè probra, & invidiam in bonos excitandi, arrepta imagine Cæsaris: excitabant autem in bonos invidiam, simulando se eorum timore ad asyla confugisse, seu imaginem Imperatoris gestare. liberti etiam, & servi patrono, vel domino, cùm voces, cùm manus intentarent, ultro metuebantur*, statim addit, C. Cestium senatorem ita ratiocinantem: *Principes quidem Deorum instar esse, sed neque à Diis injustas supplicium preces audiri, neque quenquam in Capitolium, aliave urbis templa perfugere, ut eo præsidio ad flagitia utatur.* Subdit *abolitas, & funditus eversas leges, ubi in foro, in limine curiæ ab An-*

ab Annia Ruffilla, quem fraudis sub judice damnasset, probra sibi & minæ intendantur, neque ipse audeat jus experiri, ob effigiem Imperatoris oppositam. Atque hæc quidem Cestius conquestus, neque dissimilia alij, & quidem atrociora obstrepebant. Posterior *Taciti* locus ita habet: *Crebrescebat Græcas per urbes impunitas asyla statuendi, complebantur templa pessimis servitiorum, obærati etiam & rei capitalium criminum eodem subsidio receptabantur, nec ullum satis validum imperium coercendis seditionibus populi flagitia hominum, ut ceremonias Deum protegentis.*

XXIV.

Movit hic morbus Tiberium Cæsarem, ut de remediis dispiceret, quorum primum accurata in Asylorum numerum inquisitio, quam secutum fuit Senatus decretum, ut Legati mitterentur ab omnibus qui immunitatibus abundabant, & rationem redderent de illis, osten-

ostenderent quâ authoritate essent introductæ. Multa quippe Asyla erant, quæ citra jussum Majestatis, citra notitiam Imperatoris cœperant; quapropter inquisitione institutâ territi, qui tantùm indulserant, abstinere maluerunt quàm graviùs quid sustinere, atque ita spontè plurima vanescere cœperunt. Alterum erat severa in Ruffillam animadversio, qui abusus jure Asyli, remotus cæteris timori fuit is enim cùm probris & injuriis impeteret Cestium Senatorem & objiceret Imaginem Cæsaris Cestius conquestus est, & propterea commoti rei indignatione omnium animi, adeò, qui præsentes aderant, Drusum ut precati obnixè fuerint, ut daret ultionis exemplum, ut accitum ille Anniam, convictumque publica custodia attineri jusserit. Tertium denique erat Asylorum abrogatio, vel in totum, uti vult Suetonius, vel quoad partem numerum & Modum.

XXV.

XXV.

Conſtat ex diſputatis inſigne illud diſcrimen inter Aſyla Ebræorum & Gentium. Nam primò Aſyla Ebræorum erant ab ipſo DEO, qui ſanguine humano & infortunato homini illorum deſignatione cavere voluit: Gentium verò à diabolo inſtituta divina imitante, ab Affectu humano præpoſtero, & & opinione qualicunque & quandoque absque authoritate politicâ ab hoc vel illo intempeſtivæ Clementiæ patrono duxerunt originem. unde etiam inferiora Ebræorum Aſylis tempore, quæ primùm fuerunt in terrâ ſanctâ jubente DEO conſpicua.

Secundò, Aſyla Ebræorum tantùm recipiebant homicidam involuntarium, innocentiæ patrocinabantur infortunatæ: at aſyla Gentium longè latiùs ſe porrigebant. Confugiebant enim ad illa ſervi, obærati, &, quod maximum, Nebulones & ſceleratorum nequiſſimi, ut non tam fuerint

præsidia simplicitatis miseræ, quàm latibula & speluncæ impietatis detestandæ, sentinæ maleficorum.

Tertiò, Asyla Ebræorum in hunc finem à DEO fuerunt extructa & destinata, ut justitia & æquitas vigeret & sanguis humanus non prodigeretur; ita tamen, ut etiam altare non fuerit subsidio illis, qui dolosè egissent: Gentilium verò Asyla vel constituta fuerunt utilitatis intuitu, ut scil. manipulus nebulonum in Rempublicam proficeret, vel Impietatis respectu, ut stabiliretur Apotheosis profanorum, frena laxarentur licentiæ, Leges conculcarentur & sceleratæ Manus, quæ tortorem internum effugere non poterat, haberet externum adversus Justitiam munimentum, tutelam & Refugium.

XXVI.

Talia verò apud Gentes multa fuerunt & varia. Et quidem *primò* Templa & circùm illa Luci, intrà verò illa Statuæ. Tale fuit Templum Dianæ Ephesinæ,

phesinæ, cujus libertatis termini ab Alexandro ad stadium usque fuerunt extensi, à Mithridate ulterius, ab Antonio ad urbis usque partem; recepti in illud maximè debitores, ut constat ex Strabone & Plutarcho; Lucus absque Templo Romæ, de quo Strabo: Romulus mortales convocans Urbe condita aggregat, sacrum quendam Lucum inter collem palatinum & Capitolium aperit. Virgilius lib. 8. Æneidos.

Hic lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum
Retulit & gelidâ monstrat sub rupe Lupercal.

tandem Ovidius:

Romulus ut saxo lucum circumdedit alto,
Quilibet huc, inquit, confuge tutus eris.

Lucus cum Templo illo Apollinis apud Delos, qualia quoque secundùm quosdam Ephesinæ & Persicæ Dianæ Templa. Statuæ tandem: qualis fuit Neptu-

ni, quam Tenii Apollinis oraculo erexerunt in æde, eandemque eidem sacraverunt, quanquam & ipsa ædes fuerit Asylum. Complura autem fuerunt istiusmodi Immunitatis Templa. Hermoniæ in Peloponeso sacrum Cereri & Proserpinæ, Templum Hebæ Deæ, in arce Phtiasiorum, in quo confugæ cujusvis criminis impunitatem consequebantur; Fanum Neptuni in Tænaro, Dianæ in Thracia, in Aphrodisio & Papho Veneris, apud Stratonicenses Jovis & Triviæ; Herculis in Canopo, Minervæ in Arce spartanâ, palicarum apud Siculos infortunio oppressis destinatum, Solis Templum ab Heliogabalo constitutum Romæ, Junonis Samiæ & Æsculapii Delubrum.

Secundò; Asyla fuerunt inter gentes Aræ. Ita Athenis fuit olim Ara misericordiæ in urbis medio collocata, de qua Statius lib. 2. Thebaidos ita: *Urbe fuit media nulli concessa potentûm Ara Deûm, mitis posuit Clementia sedem.*

apud

apud Molossos, Crotoniatas, & Messenios Deorum aræ jure asyli gaudebant; Ithacensibus erat Refugium Jovis Servatoris Ara, Romanis Ara Concordiæ, cujus meminit Hieronymus.

Tertiò, Ædes. Ita Dialis Flaminis si quis introivisset, solvi eum necesse erat, & vincula per impluvium in tegulas subduci, atque inde foras in viam demitti; & si quis ad verberandum duceretur, & ad pedes ejus supplex procubuisset eo die verberari piaculum erat, teste Gellio lib. 10. cap. 15.

Quartò Sepulcra; ita Thesei Sepulcrum apud Athenienses; ita Julii Cæsaris constructum in foro, ubi cadaver ejus combustum erat, Asyli privilegio fuerunt condecorata.

Quintò statuæ & imagines Imperatorum; Ita apud Alexandrinos venerabilis erat Ptolomæi statua & confugientes ad illam servi nexu solvebantur. In Aspendo Pamphyliæ Tiberii Imperatoris statuæ pro Asylo fuerunt, & pas-

ſim, ſi capti bello ad Imperatorum Regumque ſtatuas confugiſſent, velut ad Aſylum immunes erant, ut Manus non potuerint illis injici. ita Ruffilla objecerat Cæſaris Imaginem atque ſe tutum illâ eſſe exiſtimabat. Acceſſerunt ſigna & Aquilæ, quas amplexi Jus Aſyli conſequebantur, teſte Tacito lib. 1. & Gellio lib. 10. cap. 15.

Sextò Inſulæ etiam & illarum Incolæ, nec nõ variæ Urbes, & homines. Calmiria Inſula Peloponneſo vicina, Neptuno fuit ſacra, Aſylum habens cum Templo Dei, ad quod ſeptẽ Urbes conveniebant Hermonie, Epidaurus, Ægina, Athenæ, Praſinum Nauplia, Orchomenus, Minyarum, pro Naupliis Argivi, pro Praſiis Lacedæmonii conſecrabant. Arimphæi vicini Scythis, haud diſſimilis Hyperboreis gens, quibus ſedes nemora, alimenta baccæ, capillus neglectus, ritus dementes, ſacri habebantur inviolatique etiam feris accolarum populis; nec ipſi modo, ſed & illi, qui ad eos

per-

perfugiebant, teſte Plinio. Thyſſagetæ itidem quondam ſacroſancti fuerunt, & juſtiſſimum confugientibus ſuo jure præbebant Aſylum, teſte Bonfinio; Δȣ́λων πόλις in Libya, in quam, ſi ſervus lapidem importaſſet, continuò liber fiebat, etiamſi peregrinus fuiſſet, Ἱεροδȣ́λων civitas itidem ſervis dicata, in qua unus tantùm ingenuus vivebat. Δȣλόπολισ χιλίανδρ⊙ in Creta, πονηρόπολις in Thracia, in quam Philippus velut in ſentinam collegit infames ad minimum ducenta millium & conſimilis in Ægypto.

XXVII.

Supereſt ut mentem noſtram exponamus de Arâ illâ, cujus meminit Lucas *Actor. 17. v. 23.* idque ideò, quia quidam illam inter Aſyla referunt, & eandem eſſe volunt cum Arâ miſericordiæ. Nicolaus Lyra hæc reliquit in Commentario. Aliqui dixerunt, quod hoc Altare fuit conſecratum & inſtitutum à poſteris Herculis, qui poſt ejus

Mortem ejecti è Regno suo & potestate recurrerunt ad auxilium Atheniensium, per quod restituti fuerunt ad statum pristinum, propter quod dicunt Misericordiam in Athenis posuisse sibi sedem, cui consecraverunt Aram, seu quod Misericordia non erat aliqua persona, quæ fuisset nota hominibus, sicut Jupiter & Mercurius fuerant, quos Gentiles ad Deos translatos esse dicebant. Altare illud intitulatum fuit Ignoto DEO, & determinatum, quod non fierent oblationes & sacrificia, nisi de gemitibus, lacrymis & precibus miserorum, ibidem misericordiam postulantium.

XXVIII.

Quò minus autem huic accedamus opinioni multa retardant, quæ falsitatis vestigia notant. Nam primò longè alia recensetur occasio Aræ hujus extruendæ. Chrysostomus existimat, quòd Athenienses cum multis Diis Aras erexissent, ne alius fortè Deus esset

præter

præter iſtos, à quibus opem & auxilium ſperabant, qui ſe neglectum ægrè ferret, Aram quaſi ſupernumerariam erexerint & Ignoto DEO dedicarint. Cardinalis Baronius & Lorinus opinantur Athenienſes ex Triſmegiſto & oraculis Sibyllinis hauſiſſe, eſſe DEUM aliquem inviſibilem ac incomprehenſibilem & propterea Aram eidem erexiſſe, vel à Philoſophis Pythagoricis aut Platonicis, qui unum DEUM colebant, perſuaſos fuiſſe, ut Aram quoque illi inter tot Deaſtros, quos colebant, conſtruerent, à quâ ſententiâ non alienus quoque eſt Caſpar Sanctius in Commentario ad hunc locum.

Tandem Iſidorus cauſam duplicem ponit: primam quidem, quod cùm Perſæ expeditionem in Græciam ſuſcepiſſent & auxilia per curſorem ſolicitaſſent à Lacedæmoniis, obviaſſe illi ad montem parthenium *Panis* ſpectrum atque culpaſſe Athenienſes ob ſui neglectum, & promiſiſſe Auxilium, cultum in po-

ſterum ei quoque exhibituris. Obtenta itaque victoriâ Aram hanc cum inſcriptione Θεῷ ἀγνώςῳ dedicaſſe; ſecundam, quòd cùm peſtis θεήλατος aliquando immaniter graſſata fuiſſet, nec quidquam obtinere potuiſſent Auxilii à Patriis DIs, ad aliud Numen hactenus ignotum fuiſſe compulſos & eidem Aram hanc cum hoc titulo poſuiſſe; quas hiſtorias quoque Heinſius refert & poſteriorem Commentariis ſuis etiam intulit Oecumenius.

Quamcunque autem ſententiam ex hiſce amplectaris (lubenter enim prætermimus illam occaſionem, quæ jungitur ex Ecclipſi, Tempore paſſionis miraculoſa) nihil accedet ſententiæ illi à Lyrano productæ, neque cum illa conſiſtet. Ita enim cauſa Aræ illius conſtitutæ non fuit poſterorum Herculis Beneficium, Reſtitutio ſcilicet, ſed vel opinio aliqua de Numine præter Deaſtros colendo, vel manuductio ex libris ad Deum unum vel bellum vel peſtis,

quibus

quibus compulsi hoc Venerationis Monumentum posuerunt. Secundò repugnat Inscriptio. non meminit Apostolus ullius Aræ Misericordiæ, sed cujus inscriptio fuerit Ἀγνώστῳ Θεῷ: si itaque hanc inscriptionem habuit, non fuit illa Titulo misericordiæ insignita, non de quâ Statius: *Urbe fuit mediâ nulli concessa potentûm Ara Deûm, mitis posuit Clementia sedem.* Et, si rejiciuntur Inscriptiones, quæ ab Hieronymo producuntur & Beza, ideò, quia in plurali conceptæ sunt, utique & hæc erit rejicula, quia à titulo, quem Paulus signat, recedit.

Quid, quòd adhuc disputari possit, num posteri Herculis hanc Aram misericordiæ erexerint tanquam DEO cuidam benigno: num verò suffecerit illis ut monumentum Misericordiæ illis ab Atheniensibus exhibitæ construxisse & privilegio quodam ornasse? Tertiò; Aram illam Misericordiæ Asylum fuisse constat ex Statio, qui ita de illa:

Miseri fecere sacram sine supplice nunquam
Illa novo: nullis damnavit vota repulsâ.
Auditi quicunque rogant, noctesque diesque
Ire datum.

at quod Ara hæc fuerit Asylum nullo indicio constat, sed potius oppositum dispalescit, si tota series discursus benè & accuratè expendatur.



DE

DE ASYLIS CHRISTIANORUM.

TH. I.

DIximus quid ebræis DEUS indulſerit, quomodo innocenti caverit, quî ipſius providentia etiam circa caſualia fuerit occupata & homicidio involuntario advigilârit; unde nobis quæſtio naſcitur: num itaque hodie in N. T. adhuc velit conſtituta Aſyla, an verò illa diſpoſitio cum Republica Judaica expirârit. Et quidem videtur Aſyla tempore N. T. planè ceſsâſſe. Nam *primò* illa conſtitutio fuit forenſis & ex aliqua parte Ceremonialis, quis autem neſcit leges forenſes, conſtitutiones ceremoniales tanquam umbras & ſtatuta certi populi, quæ, quousque populus Rempublicam efficeret, durare debebant, evanuiſſe.

Secundò; Urbes Refugii ideò ſunt con-

constitutæ in V. T. ne insons incideret in manus Goëlis sive vindicis, atque ita innoxii sanguinis Effusione terra pollueretur: hodie verò nullus Goël, sive vindex sanguinis, nulli hoc jus datum vel per modum legis vel per modum liciti, Cum itaque nullum periculum ex Goële, nullum quoque præsidium adversus ipsum ulterius locum habebit.

Tertiò; demonstravimus in antecedentibus Vindici sanguinis in judaico populo potius permissam fuisse quàm imperatam interfectionem homicidæ voluntarii, habuisse iese hanc dispositionem ut illam de libello repudii, & utramque propter duritiem cordis à Deo huic populo indultam fuisse; debuisse quoque homicidam involuntarium manere intra Urbis septa usque ad mortem Pontificis nec pedem potuisse efferre loco assignato usque ad illum præstitutum terminum.

At hæc omnia in N. T. deficiunt, nihil enim hîc Deus indulget cognatis, non

non armat manum adversus homicidam involuntarium vel voluntarium, nihil permittit, omnia Magistratûs potestati subjicit, neque propter Duritiem Cordis aliquid indulget. nisi quis illâ abusus etiam vellet probare libellum repudii adhuc locum habere posse, nec constringitur homicida ad Urbem aliquam confugiens, ita ut in illa habitet, sed modico tempore commoretur & tutus lateat; multo minus ad Mortem Pontificis se continere cogitur intra Mœnia Receptûs cum nullus sit in N.T. præter Christum.

II.

Si tamen multum probant hæc argumenta id evincunt, Asylis ut in V. T. erant restricta & circumscripta certis quibusdam circumstantiis nullum ulterius esse locum in Novo Testamento; absolutè verò hoc æquitatis Beneficium, hoc Innocentiæ Remedium desiisse aut desinere debuisse, ut in Regionem Umbrarum migrare orto sole novæ Oeconomiæ

nomiæ, nondum ex adductis apparet. Non primum argumentum concludit; cùm quia hoc tantùm demonstrat, Asyla non esse in usu hodie in quantum pendebant à jure forensi judaico. num autem non ex alio capite constitui potuerunt & constituta sunt? tùm quia multa adhuc in Rebus publicis observantur, quæ juris quondam forensis Mosaici, utut non sub ratione & formalitate illius juris, sed quia ratione Materiæ vel justitiæ vel æquitati sunt consona; tùm quia Ceremoniale Asylis innexum huc non spectat, sed evanuisse ultrò conceditur.

Alterum quoque vacillat. Nam posito hodie non dari vindicem sanguinis quantum ad specificam designationem, typicam adumbrationem, non tamen omne cessat periculum. sunt Amici, sunt cognati, sunt patres, sunt filii, qui ut quisque per Affectum vel nimius sui æstimator & suorum, correpti præcipiti

motu

motu aliquid designare possunt quod excedit; sunt non tantùm æquales sed potentiores, qui etiam involuntario homicidæ mortem non tantùm minari sed & inferre per ministros possunt, & num non fines supra assignati Asylorum adhuc militant? num non ex iisdem motivis constitui possunt & debent?

Tertiū vanescit, si consideramus *primò* quamvis DEUS non indulgeat hominibus affectu concitatis aliquid, homines tamen ipsos sibi & suis passionibus nimium quandoque laxare habenas & designare quæ pœnitentiâ non possunt corrigi.

Secundò, accidentale esse quod ratione Moræ objicitur. quanquam enim homicidæ ex Judaico populo in Urbe Refugii habitandum, nunc verò ad certum tempus tantùm commorandum est; non tamen hæc differentia ad ipsam Essentiam pertingit & hodierna Asyla ex hoc nomine titulo & privilegiis suis dejicit.

Tertiò,

Tertiò, illud de Morte Pontificis fuiſſe typicum & expirâſſe, atque ſub ratione hâc illud etiam, quod tunc temporis obſervandum, deſiiſſe. Undę etiam B. Brentius quondam de Aſylorum jure ad Caput Exodi 21. pagina mihi 491. ita cenſuit, hæc privilegia non eſſe temerè abroganda, ſed tanquam divinam ordinationem conſervanda.

III.

Inducti autem ſunt Chriſtiani ad Aſylorum conſtitutionem Exemplo ipſius Dei, qui quondam in populo ſuo hoc Medio voluit ſubvenire infortunatis, temperare Affectum excandeſcentium, atque documentum quoddam relinquere benignitatis & prudentiæ in certâ quadam actuum ſerie vel ordine adhibendæ. Cùm enim Scriptura omnibus fuerit fons patens, ex quo quisque haurire potuit non tantùm ad ſatietatem, ſi voluit, ſed & abundantiam, Notitiæ in rebus agendis, & ut ſimplices illa

illa ſuperficie refovit, ſapientes Myſterio exercuit, habuit in publico unde mentes ſublimium in admirationem dulcedinis ſuſpendit: ita attendentes ad illaScripturæ loca, quæ agunt de Aſylorum conſtitutione facilè animadvertere potuerunt,non eſſe contra DEI voluntatem miſeris Receptûs Urbes, aut alia loca aſſignare; cùm ipſe DEUS tam ſollicitè caverit, ne ſanguis innocens effundatur & afflictus infortunio afflictione ſuperaddita ad vitæ usque jacturam obruatur.

IV.

Movit inſuper illos æquitas naturalis. Cùm enim Lumen Naturæ dictet non eſſe occidendos confeſtim, qui caſu quodam proximum interfecerunt & animum eſſe reſpiciendum maximè, qui maleficia diſtinguit, non temerè homicidas eſſe ulciſcendos, ſed cauſa prius probè cognita; non denique ſanguinem humanum eſſe vilipendendum, ideoque & huic ductui Luminis Naturalis ſeſe ſub-

ſubmittentes Chriſtiani, voluerunt conſulere homini infortunato & in ancipiti conſtituto; nec non ſibimetipſis, ne ſanguine innocentis manus immacularent & æquitatis Delubra converterent in Rhadamanti Tribunal per Rigorem excedentes, nec ad ſingulas circumſtantias facti reſpicientes prudenti Temperamento contemptui ſolito immaniores Gentilibus ſe exhibentes.

V.

Denique etiam Religionis ſenſus non leve habuit apud illos pondus & Momentum: ut conſtare poteſt ex Ratione illa quam Theodoſius & Valentinianus in Conſtitutione ad Antiochum præfectum Prætorio, & Conſulem allegarunt. Verba ex tertia Synodo ita ſe habent: *Cum illi qui Idola adorabant & in maxima Veneratione in ea Vanitate verſabantur Aras certis Sacerdotibus commiſerunt & Templa quaſi Terris eminentiora conſtituerunt: quantò magis decet nos noſtram Religionem colere.*

VI. Jus

VI.

Jus autem illud constituendi Asyla meritò vindicamus Imperatori in Imperio, Regi in Regno, & omni illi qui jure gaudet Majestatis, summam in Republica habet potestatem, & phrasi Scripturæ Vicarius quidam DEI in his terris. Neque opus censemus prolixè hoc confirmare, cùm in antecedente disputatione hoc executi simus, & per se pateat, illum qui habet summam potentiam in Republica, cui parere subditi debent, non tantùm propter necessitatem sed & Conscientiam, qui prospicere debet, ut probè constituta sit Civitas, quieta felix & instructa illis sufficienter, quæ ad hunc finem faciunt, etiam hâc gaudere potestate, ut Asyla constituat & infelici homicidæ succurrat, neque patiatur cæde numerosa contaminare terram cui imperat & præest, unde non tantùm Imperatores quondam Ethnici hoc jus voluerunt esse Majestatis, sed & Christiani non deteriores facti per professionem

sionem veræ Religionis Christianæ idem retinuerunt atque summæ potestatis esse intellexerunt, quod constitutiones docere possunt. de quibus in sequentibus.

VII.

Indicia luculenta hujus deprehendimus in Codicis lib. 1. Titulo 12. ubi Impp. Arcadius & Honorius ita loquuntur: *Judæi qui reatu aliquo vel debitis fatigati simulant se Christianæ legi velle conjungi, ut ad Ecclesias confugientes evitare possint crimina, vel pondera debitorum, arceantur: nec ante suscipiantur, quàm debita universa reddiderint; vel fuerint innocentia demonstrata purgati. Dat. 5. Kal. Jul. Constantinopol. Cæsario & Attico Conss. 397.*

Imp. Honorius & Theodosius ita constituunt: *Fideli devotaque præceptione sancimus, nemini licere ad sacrosanctas Ecclesias confugientes abducere: sub hac videlicet definitione, ut si quisquam contra hanc legem venire tentaverit, sciat se ma-*

se majestatis crimine esse retinendum. Dat. 10. Kal. Apr. Constantin. & Const. Conss. 414. Nec non Theodosius & Valentinianus ad Antiochum præfectum prætorio scribunt: *Pateant summi Dei templa timentib. nec sola altaria & oratorium templi circumjectum, qui ecclesias quadripartito parietem septu concludit, ad tuitionem confugientium sancimus esse proposita: sed usque ad extremas fores Ecclesiæ, quas oratum gestiens populus primas ingreditur, confugientibus aram salutis esse præcipimus: ut inter templum, quod parietum descripsimus cinctu, & post loca publica, & januas primas ecclesiæ, quicquid fuerit interjacens, sive in cellulis, sive in domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibus, confugas interioris templi vice tueatur. Nec in extrahendos eos conetur quisquam sacrilegas manus immittere: ne qui ausus sit, cùm discrimen suum videat, ad expetendam opem ipsi quoque confugiant. Hanc autem spatii latitudinem ideò indul-*

dulgemus, ne in ipso Dei templo, & sacrosanctis altaribus fugientium quemquam manè vel vespere cubare, vel pernoctare liceat: ipsis hoc clericis religionis causa vetantibus: ipsis qui confugiunt, pietatis ratione servantibus. 1. Arma quoque, in quovis telo, ferro, vel specie eos qui confugiunt, minimè intra ecclesias habere præcipimus: quæ non modò à summi Dei templis ac divinis altaribus prohibentur, sed etiam cellulis, domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibus. 2. Proinde ij qui sine armis ad sanctissimum Dei templum, aut ad sacrosanctum altare, sive usquam gentium, sive in hac almâ urbe confugiunt, somnum intra templum, sive ipsum altare, vel omnino cibum capere absque aliqua eorum injuria, ab ipsis clericis arceantur, designantibus spatia, quæ in Ecclesiasticis septis eorum tuitioni sufficiant, ac docentibus capitalem pœnam esse propositam, si qui eos conentur invadere. Quibus si perfuga non adnuit, neque consentit, præferenda hu-

da humanitati religio est, & divinis ad loca quæ diximus turbanda temeritas. 3. Hos verò, qui templa cum armis ingredi audent, ne hoc faciant, præmonemus: dein si telis cincti, quovis Ecclesiæ loco, vel ad templi septa, vel circa, vel extra sint: statim eos ut arma deponant, auctoritate Episcopi à solis Clericis severiùs conveniri præcipimus, data eis fiducia, quòd religionis nomine meliùs, quàm armorum præsidio muniantur. Sed si Ecclesiæ voce moniti, post tot tantorumque denunciationes noluerint arma relinquere, jam clementiæ nostræ apud Deum & Episcopum causa purgata armatis, si ita res exegerit, intromissis trahendos se abstrahendosque esse cognoscant, & omnibus casibus esse subdendos. Sed neque Episcopo inconsulto, nec sine nostra sive Judicum in hac alma urbe, vel ubicumque jussione, armatum quempiam ab Ecclesiis abstrahi oportebit, ne si multis passim hoc liceat, confusio generetur. Datum X. Kalend. April. Constantin. Antiocho

V. Const. Consi & qui fecerit nuntiatus.
431. quos secutus fuit Imperator Leo circa annum Domini CCCCLX.

VIII.

Quanquam autem hæc certa sint apud illos quos Deus Deos esse voluit in his terris; aliter tamen censent, qui minus reverenter loquuntur de Summarum Potestatum Imperio.

Sanè cùm vanus ille Siculus & Interpres Cōstitutionis Greg. XIV. non potuisset evidentia rei convictus negare de facto Imperatores indulsisse immunitatem Ecclesiis, de jure incepit disputare, atque prius urget privilegii definitionem, & dicit: *Privilegiare esse actum jurisdictionis non modò supra ipsum jus commune à cujus obligatione privilegium liberat, sed etiam supra privilegiatum, qui ab ea obligatione liberatur. Nemo enim potest alienum subditum liberare ab obligatione servandi commune jus, legemque*

gemque publicam. Id ex ipsa privilegii definitione sic colligo. Definiunt Doctores privilegium esse legem privatam, seu jus privatum indultum à Principe contra jus commune. ita Panormitanus expresse in cap. appate, de verbor. significat. & ibi alii plerique, & summista in v. Privilegium, in initio. Sylvester, Tabien. Angelica Rosella, Pisanella. Et B. Armilla in v. Privilegium, in initio, aliam afferat ex S. Thom. definitionem, testatur tamen secundùm canones hanc ipsam definitionem esse recipiendam. Hanc autem definitionem desumunt ex can. privilegia d. 3. In hac autem definitione duo exprimuntur, quæ ostendunt requiri in privilegiante potestatem supra privilegiatum, primum quod dicitur indultum à Principe, nisi enim necessaria esset potestas, necesse non erat ullam facere Principis mentionem secundùm quod aut contra jus commune. Nemo enim potest ab obligatione juris eximere, nisi qui potestatem

 habet

habit juris concedendi, & ad illud obligandi: ergo ut quis possit aliquem legitimè privilegiare, & concesso privilegio liberare ab obligatione juris, necesse est, & supra jus ipsum habere potestatem, & supra privilegiatum. Tum sic ulteriùs progredior: *Ecclesia est, quæ privilegiatur hoc privilegio, Imperator autem, qui privilegiat, ut constat ex dictis, Imperatores autem nullam habent super Ecclesias potestatem: ergo non possunt privilegiare. Hinc concors est Doctorum sententia non posse Imperatorem in spiritualibus privilegiare, propterea quòd cùm merè laicam habeat potestatem, nihil de spiritualibus statuere potest, ut habetur expresse definitum in can. bene quidem d. 96. Hoc autem privilegium spirituale est, pertinens ad Dei cultum, & sanctarum Ecclesiarum honorem: ergo non potest per Imperatores concedi.*

Secundò, explicat *Differentiam inter*

ter Imperatorem & Papam, quòd Imperator & supremi Principes seculares possint concedere privilegia suis subditis in temporalibus tantùm, non autem in spiritualibus, quoniam nec Imperator possit de spiritualibus aliquid statuere, quo fiat ut eorum privilegia si prajudicent spiritualibus, vel spirituali potestati, & jurisdictioni, saltem pro ea parte sint nulla atque invalida: si autem faveant spiritualibus, sint subsidiaria potius privilegia, quàm obligantia quenquam, neque inducant ullam clericis, aut Ecclesiæ obligationem propter defectū potestatis, nihil enim posse Principes circa spiritualia, can. bene quidem, d. 96. Papam verò potentem esse in spiritualibus, quorum dispositio ipsi reservata sit, & in temporalibus non modò in terris sibi temporaliter subjectis universè, sed etiam in terris aliorum Principum Christianorum in certis casibus, in quibus jurisdictio ad eum devolvitur, ut in c. per venerabilem, qui filii sint legitimi. imò semper sicut possit condere legem,

 quoad

quoad civilia, ex causa tamen rationabili, quoniam Papa secundùm S. Thom. in 2. sent. d. 44. in litera tenet apicem potestatis non modò spiritualis, sed etiam secularis, & potest privilegiare, etiam in prajudicium dominorum temporaliū, & Imperatoris & Regum ex rationabili causa, dummodo non prajudicet illis injustè, ut notat Sylv. in v. Privilegium. §. 2. Pracipuè verò id posse quando privilegium in temporalibus concessum redundaret in spiritualia, & in ordine ad illa concederetur.

Et *tertiò* concludit: *Ex his ostendo quidnam egerint Imperatores concedendo Ecclesiis Immunitatem confugij, penes Imperatores & supremos Principes temporales, eorumque curias & ministros ex naturali, divinoque jure potestas puniendi reos, idcirco enim gladium portant, inquit Apostolus, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, simili ratione est penes eosdem potestas capiendi eosdem reos, carcerandi, constringendi, & catera*

ra omnia faciendi, quæ ad justitiam vindicativam pertinent. Itemque potestas, condonandi reis pœnam, vel commutandi in leviorem ex causa aliqua rationabili penes eosdem supremos est Principes. Hinc sequitur eosdem Imperatores cùm privilegium immunitatis hujus Ecclesiis concesserunt, nihil aliud egisse, quàm voluisse, hunc Deo honorem, & hanc Ecclesiis reverentiam haberi, ut neque ipsi, neque eorum ministri circa confugientes ad Ecclesiam quicquam possent, hoc est, non solùm ne reum caperent in Ecclesia; sed etiam ne inde ingressum ulteriùs persequerentur, quàm vel ipsimet sanxerunt, vel sacri canones patiantur. Id quod neque supra Ecclesiam potestatem requirit, neque supra clericos, sed solùm supra laicos illuc confugientes, quos ibi tutos esse volunt, & supra suarum curiarum ministros, ut illis vetent, ne ejusmodi confugas attingant, & quamvis Imperatores in hac concedenda lege immunitatis Dei honorem, & Ecclesiarum reverentiam

pra oculis haberent, ut habuisse perspicuum est, non sunt tamen ideo censendi sese spiritualibus immiscuisse. Nam nihil aut Ecclesiæ præceperunt, aut injunxerunt: sed sicut licebat cuique privato in causa sua hunc Deo atque Ecclesiis honorem habere, ut cùm hominem à quo læsus esset insequeretur, quo eum in manus curiæ daret, ubi eum ad Ecclesiam pervenisse animadverteret, quiesceret ab insequendo, atque inibi tutum esse sineret, neque hoc facto spiritualibus se immiscere dicendus esset: ita & multò magis Imperatori id lege decernere licuit. Quoniam autem hac lege Imperatores suæ authoritati detrahebant, confugisque ut in Ecclesia tuti essent concedebant, quo nonnihil detrahebatur juri partis, quæ eo ipso quòd læsa esset, jus habebat petendi reum ad pœnam, ideò hæc lex & beneficij rationem habet, & privilegii, & legis obligatoriæ. Beneficii quidem quatenus de proprio jure Principis cedunt favore Ecclesiæ: privilegii verò quatenus præjudicant

cant

cant juri partis contra jus commune; legis verò obligatoriæ quatenus præcipit sub gravissimis pœnis ministris curiæ secularis, ne confugientes ad Ecclesias attingant.

IX.

Sed hæc redolent fumos è Culina Papali, quos majoris faciunt Papalia Mancipia, quam Lucem veritatis. Nam *primò*: si privilegiare est actus jurisdictionis supra jus commune & privilegiatum, & Papa jurisdictione non gaudet, utpote persona quædã Ecclesiastica cujus est prædicare verbũ & administrare Sacramenta, Episcopus Ecclesiæ Romanæ, cujusmodi hominibus interdictum imperare; cùm Reges gentium dominentur & Evergetæ dicantur *Luc. 22.* apertum erit hunc privilegiandi actum non deberi Pontifici Romano.

Secundò, si Privilegium est Lex privata seu jus Privatum indultum à Principe contra jus commune secundum Panormitanum, Sylvestrũ Tabienam, An-

gelicũ. Rosellam, Pisanellum, cùm Pontifex non sit princeps, sed minister, ejusdem non erit indulgere privilegia.

Si, *Tertiò*, Imperatores qui privilegiant habent super Ecclesiam Potestatem, poterunt illam quoque privilegiare, habent autem potestatem tum in Ecclesias, in quantum notant cætum vocatorum, tum in quantum notant ædes Palatia & Templa Sacris destinata, ut constabit ex sequentibus: nec hæc est privilegiatio in spiritualibus propriè sic dictis, nec Imperator ita Laicam habet potestatem, ut nihil illi liceat in Ecclesiam & spiritualia, ut illi loquuntur, cùm hæc Laica potestas sit architectonica, quæ & circum seculi & Cœli complectitur.

X.

Alterum quod de differentia ingeritur putidum est, & pridem ab Orthodoxis rejectum. Falsum est principes posse privilegia concedere suis subditis tantùm in temporalibus, non autem

tem

tem in Spiritualibus: eo quidem in casu, quo illi hos terminos, quanquam valdè impropriè, accipiant. Falſum eſt Aſylorum Conſtitutionem eſſe privilegium in Spiritualibus. Aſyla enim V. T. pertinebant ad Legem forenſem & civilia; Aſyla gentium ejusdem fuerunt ordinis; Aſyla denique Chriſtianorum nihil aliud ſunt quàm immunitates locorum quæ ſubſunt poteſtati politicæ.

Falſum deniq;, ſi privilegia conceſſa à principibus ſecularibus faveant Spiritualibus, eſſe tantùm ſubſidiaria, & non obligantia: cùm procedant à poteſtate Legislativa, quæ utique obligat; non inducere vinculum Clericis aut Eccleſiis: cùm hoc nitatur falſa illa hypotheſi de Exemptione illorum à poteſtate Politica, quam Paulus ſubruit dicendo: Omnis anima ſubdita ſit poteſtati ſupereminenti *Rom. 13.* qui itaque Animas Clericorum vult excipere, conatur decipere; denique nihil poſſe circa ſpiritualia, quod ſupra refutatum. Monſtroſum

ſtroſum verò eſt & putidum quod de omnipotentia Papali ſubnectitur, ut ſatius ſit abſtinere ab hac materia quàm Camerinam illam movere.

XI.

Tertium, quod proponitur, *primò* planè pro nobis facit. Nam ſi penes Imperatores & ſupremos principes temporales eorumque Curias & Miniſtros divino & naturali jure eſt poteſtas puniendi reos, & illi gladium portant: omnis poteſtas tum circa reos puniendi, tum ſubveniendi jure divino & naturali erit penes Imperatores & principes ſeculares, neque quicquam poterit contra illud, quod jure natutali & divino competit. Papa, Monſtrum illud in Eccleſia Dei etſi reſiſtat hîc ordinationi divinæ, reſiſtet dignus ſupplicio, quod Paulus iſtiusmodi obſtreperis comminatur. Si penes Imperatores & Principes ſeculares eſt poteſtas capiendi reos, carcerandi, conſtringendi & cætera omnia faciendi, quæ ad juſtitiam vindicativam

cativam pertinent: Principum erit vindicare ſanguinem, vel in caſu caſus innoxiis ſubvenire. Si denique poteſtas condonandi reis pœnam vel commutandi in leviorem ex cauſa aliqua rationabili eſt penes eosdem: Pontifex non poterit illam ſibi vel arrogare vel in divinitus eâ inſtructis illam ſufflaminare.

Secundò, mera poſtulata adducuntur; non ſolùm enim Imperatores concedentes Eccleſiæ immunitates poteſtatem ſuam extendere ſeſe ſupra Miniſtros perſequentes & Laicos latere volentes, oſtendere voluerunt, ſed etiam ſupra Clericos & Eccleſiam, utpote quam hoc privilegio ornarunt. Quanquam poſito hoc tantùm, quod de Miniſtris reis dicitur, alterum ſpontè ſua conſequatur. Secundò quamvis ſpiritualibus, ſi ſtrictè hæc vox accipiatur, ſe non immiſcuerunt, actus tamen exercuerunt architectonicæ Poteſtatis; neque illa comparatio cum privatis quieſcentibus hic locum habet: tum quia Imperatores

res & Principes ſeculares nimiùm deprimit, quaſi in hoc puncto non plus poſſent, quàm privatus; tum quia illa prohibitio inſecutionis, illa loci privilegiatio, illa in reos indulgentia non eſt actus voluntariæ Abſtinentiæ, ſed jus quoddam profectum à ſumma Poteſtate, privilegium quod ſupra ab illis definitum; tùm quia, ſi hæc ſimilitudo admittenda, caderet omne Aſylum, omnis immunitas ab Imperatoribus Eccleſiis & Locis ſacris indulta & conceſſa, ob defectum poteſtatis & jurisdictionis, & ſaltem inter licita eſſe referenda, & Principi & privato communia.

Tertiò; ſi Lex habet rationem Beneficii privilegii & Legis obligatoriæ, & quidem poſtremi, quatenus præcipit ſub graviſſimis pœnis Miniſtris Curiæ ſecularis, ne confugientes ad Eccleſias attingant, Poteſtas Imperatorum in Miniſterii ordinem erit referenda, utpote quæ tantùm inſerviet, ut arceantur ab Eccle-

Ecclesiis Ministri curiæ. quanquam non possit dissimulare Adversarius secularem curiam pœnas non sumpsisse ab illis Ministris & Satellitibus, qui fervidiùs hic quandoque sese exhibuerunt.

XII.

Gavisi autem sunt olim etiam in Christianismo hoc jure primò Servi, qui confugiebant ad Asyla, ut pœnarum remissionem impetrarent, quas metuebant. obærati, ne scil. propter æs alienum carceri manciparentur, aut aliud aliquod ipsis immineret periculum; denique rei delictorum quorundam, & qui lâtâ culpâ aliquem occiderunt, atque huc spectant & referuntur Textus ex Codicis lib. 1. Titulo 12, quos expendunt Interpretes.

Quanquam autem nolimus de Qualitate vel Constitutionum illarum vel Personarum disputare. Si tamen ad Asyla primitus à DEO constituta respiciatur, non nisi homicidis illa patuerunt,

runt, neque ad ſervos, aut obæratos, vel aliorum delictorum reos fuerunt à DEO extenſa. Interim cùm gaudeat Imperator & ſeculares, penes quos κύριον in Republica Poteſtate Legislativa, & poſſint vel aliquid ex rationabili cauſa laxare vel reſtringere, ideò ſi Aſyli capaces etiam illos declarant, qui vel immaniter tractantur à Dominis, vel, qui ære alieno gravati oneri ſuccumbunt, vel qui aliquo delicto ſeſe adſperſerunt, ſi debita moderatione utantur poteſtate ſuâ, non erit illis reclamandum. Multa ſæpè conceduntur vel ex Regulis prudentiæ, intuitu ſtatus præſentis Reipublicæ, indulgentur ex quibusdam motivis, quæ non odioſè exagitanda; & ſi adhibeatur certa circumſcriptio, ut limites honeſtatis non tranſeant, adprobanda, aut ſi etiam videantur laxiora juſto, tamen admittenda, cùm ad minimum tales actus & diſpoſitiones ſummarum poteſtatum habeant in ordine ad ſubditos ut Effectum non reſiſten-

ſiſtentiæ poſt ſe ducant, & ſuis relinquant obſequii Gloriam.

XIII.

Si tamen audiendi Theologi ſuaderent ſummis poteſtatibus, nè ultra terminos à DEO conſtitutos progrederentur, niſi graviſſima de cauſa; nec Aſylorum privilegia extenderent, ſed potius reſtringerent, memores quàm ſolicitè DEUS caverit ſanguini humano in Lege ſua, quàm immotum illud: *qui ſanguinem fudit, ejus ſanguis iterum fundatur per hominem Gen. 9.* quàm populi ſui judices voluerit accuratos in Caſu homicidii *Deut. 21. v. 1. usque ad 9.*

Præterea quod Aſyla non niſi homicidis involuntariis ex Voluntate Divina patuerint, Gentiliſmum verò ſapiat illa immanis extenſio; denique quod Eccleſiæ à DEO non huic fini ſint deſtinatæ vel in Veteri vel Novo Teſtamento, ſed Urbes & Oppida quædam. Suaderent Conſiliariis, ut Indulgentiam illam moderarentur juſtitiæ ſeveritate; ne

ne vel Clementia in Excessum vel justitia in Rigorem degeneraret, suaderent illis quibus hæc privilegia concessa, ne abuterentur illis & quosvis etiam Nebulones reciperent; considerarent, quæ Verbum DEI & ratio recta docet refugium illis tantum indulgentibus, qui infortunio pressi auxilia charitatis à proximis desiderant, considerarent conscientiæ teneritudinem, quæ, uti oculus facilè læditur & de peccatis & sanguinibus aliorum facilè participat, quod omnimodè devitandum, cum quique hominum, cuique Reipublicæ sat sit negotii cum propriis peccatis, nec aliorū indigeat augmento ut Mensura impleatur, & Ruina quam DEUS cominatur, sequatur, considerarent etiam famæ honestæ habendam esse rationem, in multis negotiis dicendum cum Paulo, licent hæc quidem mihi, sed non expediunt, cavendum ne macula πονηροπόλεως ex justa querela conspergi possit, præferendum quandoque justitiæ

Sce-

Sceptrum molli Licentiæ, nec tam attendendum quid fieri poſſit cum privilegio, quam quomodo reſpondendum de praxi illius in foro honeſtæ vel Societatis vel Viciniæ, imò aliquando in die extremi Judicii, ubi omnia ſilebunt privilegia & DEUS non attentis hiſce dabit unicuique ſecundum opera ſua *Rom. 2.*

XIV.

Non tàm Indulgentes autem fuere Imperatores, longè indulgentiores Pontifices. Nam ſecundum jus Canonicũ non tantùm ſervis, obæratis & delinquentibus Aſyla aperuerunt, ſed præter hæc tria genera Diſcipulis ad Eccleſiam ſe conferentibus evitandorum verberum cauſa, opificium aliquod diſcentibus, filiis paternæ caſtigationi ſe ſubducentibus, quibuscunque aliquid ab aliis timentibus, imò omnibus criminoſis, exceptis publicis latronibus & nocturnis depopulatoribus agrorum, ut conſtat ex Cap. de Raptoribus 36. q. 1. & ex Cap. de

de Immunitatibus Ecclesiæ, ubi hæc leguntur: *Si liber, quantumcunque gravia maleficia perpetraverit, non est violẽter ab ecclesia extrahendus.* Et paulò post: *Et hoc verum est, nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum, quæ exceptiones confirmant regulã in aliis.* Videatur Layman, qui repetit & scribit: *Quintò in cit. Authent. de mandatis Principũ, cap. 11. habetur; Neq; homicidis, neq; adulteris, neque virginum ratoribus delinquentibus, sanctorum terminorum tutelam concedendam esse. Verùm id jure canonico correctum esse, constat non tantùm ex c. de raptoribus, 36. q. 1. sed etiam ex cap. inter alia, de immunit. ecclesia, ubi dicitur: Si liber, quantumcunque gravia maleficia perpetraverit, non est violenter ab ecclesia extrahendus. Et* paulò post: *Et hoc verum est, nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum, quæ exceptiones confirmant regulam in aliis.* Ita Lancelot. pag. 543. *Hoc autem de publicis latronibus, vel no-*

cturnis

cturnis agrorum populatoribus, viarumque obsessoribus intelligi non oportet. Hi enim secundum Canonicas sanctiones nulla impunitate præstita violenter, & egressionis adhibitis insidiis, ab Ecclesia extrahi poterunt. Idem & de his statuendum erit, qui imputatem suorum excessuum obtinere sperantes, homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, vel ipsarum cœmeteriis committere non verentur, quæ nisi per Ecclesiam crederent se defendi, nullo pacto commissuri fuerant: tales enim, cùm in eo, in quo quis deliquit, puniri debeat, & frustra legis invocet auxilium, qui in ipsam legem committit, immunitatis privilegio, quo se fecerunt indignos, minimè gaudebunt. addatur Cuchus. maximè verò Bulla Gregorii XIV. quæ ita incipit. servus servorum DEI ad perpetuā rei memoriam. §. 1. p. 68. *Cum aliàs nonnulli prædecessores nostri, & præsertim felicis recordationis Sixtus PP. V. nec nō Pius etiam V. sanctè zelo ducti, diversas facultates & indulta extrahendi, etiam in*

in casibus quibusdam à jure non permissis ex Ecclesiis criminosos, & delinquentes compluribus secularibus Principibus, eorumque curiis & magistratibus sub variis modis, & formis concesserint, prout in illis plenius continetur; experientia postmodum docuit tum ob diversitatem & differentiam hujusmodi indultorum, tum quia plerique eorundem Principum ministri ex hoc ipso illa diversimodè, & latius, quàm par erat, ad suum libitum interpretandi occasionem arripuerint, illisque abuti cœperint, subortam esse non mediocrem in aliquibus locis libertatis & immunitatis Ecclesiasticæ perturbationem, & confusionem. Et in sequentibus hæc occurrunt: *Quare pro commisso nobis à Domino pastoralis officii munere prædictis absurdis, & scandalis obviare, ac differentias hujusmodi ad uniformem regulam reducere, omnemque dubitandi, ac perperam interpretandi occasionem dilucida declaratione submovere, abusus tollere, & ne Ecclesiastica jura planè concul-*

culcentur, & negligantur; opportunè providere decrevimus, prout etiam dictus Sixtus prædecessor noster iisdem de causis motus statuere decreverat; licet morte præventus hoc adimplere nequiverit: ita tamen ut quando præsertim temporum calamitas, & nimia, quæ jam invaluit, perversorum hominum malitia id exposcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium, & ad coercenda illorum facinora, ultra id quod prisca illa majorum disciplina, & vetus sacrorum canonum norma præscripserat, in quibusdam casibus congrua moderatione adhibita permittamus. Pergitur: *Ut laicis ad Ecclesias locaque sacra & religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum. Quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve cœmeteriis committere non*

non verentur , aut qui proditoriè proximum suum occiderit, aut assassini, vel hæresis, aut læsæ majestatis in personam Principis rei immunitas ecclesiastica non suffragetur. Ubi publicis latronibus, viarum grassatoribus, & depopulatoribus agrorum homicidæ adducuntur & mutilatores membrorum in ipsis Ecclesiis vel eorum Cœmeteriis, proditoriè occidentes, Assasini, rei hæreσεως, rei læsæ Majestatis.

XV.

Si tamen adeas illos, qui casus tractant & in Moralium Doctrina eminere volunt, hæ restrictiones, illorum judicio, non videntur attendendæ, sed conscientiæ laxanda frena, removenda erunt repagula Legum, ut lata sit porta & transitus etiam currui scelerum absque mora & impedimento.

Cum enim mentio fiat nocturnorum depopulatorum, secundùm Interpretationem Doctorum, ab immunitatis privilegio non erit exclusus depopula-

pulator diurnus, ut placuit Caſtro Palao, nec viarum graſſator cenſetur dejectus Immunitate, ſi extra vias publicas & frequentatas ſpoliet, vulneret & occidat, ſed tantùm ſi hæc perpetret in viis publicis & itineribus frequentatis, ut voluit Farinacius.

Tertiò, etiam in ipſa Eccleſia grave delictum perpetrans, ſed tantùm homicidium & mutilationem membrorum inferens privatur hoc jure, juxta Boëtium, Farinacium & Bonacinam.

Quartò, qui homicida vel mutilator in Eccleſia delinquit, alium occidit, vel etiam mutilat, niſi ſub ſpe immunitatis hoc faciat, nondum cenſendus eſt privilegio hoc excidiſſe, definiente ita Azemodo Tuſco, Azorio. Nec ſi in Eccleſia exiſtens alium extra commorantem Sagitta vel ſclopo occidat ſecundum Fagundezium & Bonacinam; neque ſi exiſtens extra Templum occidat commorantem in illo, ſecundum Villagutierium.

Quintò, non caret immunitate, qui mandat aliquem in Ecclesia interimere, si subscribendum Castro Palao & Bonacinæ, nec qui vi aut dolo aliquem abstraxit ex Ecclesia & extrà occidit, pariter de hoc casu ita censente Palao; nec qui mutilat aut occidit inimicum propè Ecclesiam & mox ad illam se recipit, definiente laudato Castro Palao, cui conspirat Franciscus Suarez & Martinus Bonacina.

Sextò, privilegio immunitatis adhuc gaudet, qui inimicum suum dormientem vel alio modo incautum per Insidias occidit consentientibus hic Ambrosino, Gomezio, Suarezio, Gutierio; & qui proximum suum per industriam occidit absque insidiis, eorundem Authorum citatorum judicio; ut & qui per industriam insidiosam proximum vulnerat animo occidendi, si mors non sequatur, ut volunt Suarez, Villagutierius, Bonacina & alii.

Septimò, non privatur immunitate pro-

proditoriè infidelem interimens secundum Ambrosinum & Bonacinam; nec reus Assasinii jure communi, secundum sententiam Castro Palao; nec Sicarius, cui promittitur uxor aliqua, ut alium occidat crimen Assasinii perpetrat, cui immunitas sit denegata ex mente Farinacii & Bossii, imò pecunia promissa vel res patraturo crimen, si in magna quantitate non destituit sceleratum hoc privilegio, ita opinantibus Farinacio, Alexandro, Ambrosino.

Octavo, occidens pretio conductus infidelem non committit Assasinii piaculum, cui immunitas sit denegata judicio Mascardi, Ambrosini, Farinacii, & Gutierii; nec inter Assasinos referendus, qui accipit pecuniam ad occidendum, postmodùm autem non occidit, sed tantùm vulnerat nec exclusus censendus à Privilegio Immunitatis Ecclesiasticæ, secundum paulò antecedentes Farinacium, Mascardum & alios.

Nonò, reus læsæ Majestatis in personam

nam ipsius Principis non excluditur ab immunitate Ecclesiastica, ut volunt Gutier, Villagutierius, & Bossius.

Decimò, Raptores etiam Virginum non sunt privati immunitate juxta Azorium, Tuschum, & Bonacinam, nec Sodomitæ juxta Farinacium, nec Sacrilegi juxta Navarrum, Bonacinam, Ambrosinum, & alios; nec perjurus, qui eo Crimine causa fuit, ut aliquis morte esset damnatus, aliàs non damnandus secundum Ferdinandum de Castro Palao; nec incendiarius, conspirantibus in hâc definitione Farinacio & Castro Palao; nec demum falsam monetam cudentes; verùm tuti hic sunt quoque illi Umbone Gutierii & Farinacii.

Et vel tandem delinquentibus in Criminibus exceptis prodest immunitas Ecclesiæ, quoad alia crimina non excepta, e. g. homicidæ proditorio favet immunitas, quoad crimen adulterii, stupri, furti, ut definiunt Decianus, Farinacius & Bonacina.

XVI.

XVI.

Non operoſo hæc indigent examine, ipſa quippe probroſâ facie oſtendunt ſe cujus ſint generis, & ex quo Spiritu profecta. Nam conſcientiam laxant adſtringendam, Eccleſias commutant in ſtabula nequitiæ, ſcelerum ſentinæ patrocinantur & apertè verbo Divino, rectæ Rationi & Patrum Pietati reluctantur; imò ipſis Pontificiis Scriptoribus, qui adhuc ſenſum habent alicujus honeſtatis ſordent, deteſtantibus moralem Jeſuitarum Theologiam, quæ dum homines deberet facere pios, mores componere & ducere ad ſerenitatem mentis, facit peſſimos, Honeſtatem Chriſtianorum calcat & infra gentilium virtutes deprimit, Animos turbat & fumo opinionum obnubilat.

XVII.

Ex diſputatis autem facilè colligitur, quòd primò Aſylorum conſtitutio & Eccleſiarum in Chriſtianiſmo ad hunc finem deſtinatio non ſit Juris divini

naturalis etiam per modum convenientiæ, ut censet Villadicus in tract. de immunitate Ecclesiæ, in secundo præsupposito, quatenus sc. præceptum de colendo Deo humanâ inventione applicatur ad hunc particularem cultum, ut pro Dei reverentiâ permittatur reus tutus esse in Ecclesiâ, vel vita illi & Membra indulgeantur. Nam hâc ratione etiam Gentilium Asyla fuissent juris divini naturalis, quia & illi præceptum colendi DEUM ad particularem cultum applicârunt; præterea præceptum illud Decalogi non debet humanâ adinventione applicari ad cultum aliquem peculiarem, nî velimus ἐθελοθρησκείαν stabilire & ex nostro ingenio Deum colere, qui tamen tanquam Dominus noster non nisi ex Voluntatis revelatæ, imperio & venerandus & secundum præscriptū colendus est: utpote qui & cultū sui exigit in Decalogo, & modum cultus, applicationem generalis mandati in Verbo præscripsit & determinavit. Denique

planè

planè non est cultus divinus si ex reverentiâ DEI permittatur reus tutus esse in Ecclesiâ; cùm DEUS potiùs dehonestetur illâ determinatione, quæ illi summè displicet, ut praxis illius habet in Papatu, & verè dicere possit: *Frustrà me colunt mandatis hominum Matth. 15. vers. 9.*

Secundò, non esse Juris divini positivi, quam sententiam latè probare conatus fuit Johannes Igneus Jurisconsult. celeberr. Nam 1. nullum vestigium illius vel in libb. Veteris Testamenti per modum prædictionis, quasi Ecclesia N. Test. hoc privilegio in omnibus suis templis futura insignis, vel in Codice N. T. quòd usurparit illud, cùm nullum hactenus productum Testimonium, quod probaret, multo minus convinceret. Secundò, quæ Juris divini sunt, illa sunt vel Juris moralis vel positivi: prioris concedit Igneus, non esse Asylorum constitutionem, & Ecclesiarum immunitatem; posterioris si dicat,

cat, necesse est ut dicat vel esse JurisCeremonialis vel forensis; atqui hæc tempore N. T. exspirârunt, & cùm sola moralia perseverent, nullum Jus positivum in N. T. templorum conditionem respiciens, liquet, non posse illam immunitatem probari, ut Juris positivi in N. T.

Tertiò, ipsimet Pontificii Doctores in Igneum invehunt, Professor primarius Academiæ Conimbricensis, immitibus telis illam confodere vult: *Dicendum*, inquit, *est, concessam esse Ecclesiis Christianorum hanc Immunitatem, ut delinquentes, qui ad illas confugiunt, per vim extrahi non possint. Ita habetur 17. quæst. 4. cap. Definivit, cap. Miror, cum tribus sequentibus, capit: Nullus, & capit. Id constituimus. Item in capit. Inter alia, de Immunit. Eccles. De hac verò Immunitate inprimis dubitari potest, An sit de jure Divino, vel tantùm de humano?*

mano?

mano? Aliqui enim Juristæ, sicut censent Immunitatem personarum, vel bonorum Ecclesiasticorum esse de jure Divino, ita idem significant de hoc genere Immunitatis templorum. Pro qua sententia refert Covarruvias lib. secundo. Var. cap. 20. num. 2. in fin. Joannem Igneum in lege prima in principio, ff. Ad Syllanian. numero 26. Et nonnulli argumentum sumunt ex eo, quòd in lege veteri templum gaudebat hac Immunitate ex Divino jure. Hanc vero sententiam sic relatam late impugnat Abulens. in capit. 20. Josue, quæstione 7. Breviterque dicendum est, hanc Immunitatem vel esse de jure Divino naturali, vel positivo: neutrum dici potest, ergo. Probatur prior pars Minoris, quia non est per se, & intrinsece malum, malefactores de templo extrahere per vim: quia, cum hoc non fiat formali, & directa intentione in contemptum, vel irreverentiam templi vt supponendum est, ex vi solius operis, & seclusa prohibitione positiva, non est irreveren-

verentia, aut injuria templi, unde infra videbimus, in casibus non prohibitis hoc fieri posse sine irreverentia templi. Atque hoc est signum, in casibus prohibitis id esse malum, quia prohibitum est, & non è converso, ideo esse prohibitum, quia per se malum. Ratio autem à priori est, quia actio illa per se justa est, & non est indecens in tali loco, præsertim quando est necessaria. Nec etiam ipse locus ex vi consecrationis suæ habet peculiare jus ad tuendum confugientes ad se, nisi ei ab aliquo habente potestatem concedatur: ex solo autem jure naturæ non invenitur principium, ex quo constet, illi esse concessum. Ad summum ergo dictat ratio naturalis, esse consentaneum dignitati illius loci, ut hoc ei privilegium concedatur. Dices: Saltem, postquam est privilegium concessum, erit contra naturalem justitiam, & Religionem illud infringere. Respondetur concedendo sequelam: tamen quia privilegium est ex voluntate humana, ideo prohibitio hæc non est de jure naturali, sed

li, sed proximè fundatur in jure positivo. Quod autem hoc jus positivum Divinum non sit propriè, & in rigore, probatur, quia vel est Divinum legis antiquæ, vel legis gratiæ. Primum dici non potest: Primo quidem, quia, esto fuisset concessum à Deo antiquo Tabernaculo, aut templo, illud jus non extenderetur ad templa Christiana: tum, quia sunt diversarum rationum, & privilegium uni concessum non transfertur ad alia: tum maximè, quia illud jus pertinuisset ad ceremonialia legis veteris, quæ in nova non habent vim. Unde ex hoc capite erroneum esset dicere, templa nostra gaudere nunc hoc privilegio in virtute, & efficacia legis veteris, quia hinc sequeretur, legem illam non esse mortuam quoad cæremonialia, cùm tamen etiam mortifera sit. Addit præterea Abul. supra, antiquum templum non habuisse hoc privilegium à Deo, tum quia nullibi legitur in Scriptura hæc concessio, imò 3. Reg. 2. legimus, Joab jussu Salomonis occisum fuisse in San-

Sanctuario eo tempore, quo Salomon creditur Deo placuisse, scilicet in principio regni sui: Unde factum illud nullibi reprehenditur. Tum etiam, quia in illo populo assignatae fuerunt à Deo aliae civitates refugii, quae sufficientes erant ad tutelam confugientium. Tum denique, quia, cum templum illud tantum esset unum, non poterat esse sufficiens pro refugio illius populi totius: neque oportuit illud addere ultra omnes civitates refugii, quia cum omnes ad templum concurrerent gratia sacrificiorum, non oportebat illud gravari concursu delinquentium confugientium ad ipsum, quos in eo diu morari oportuisset, & ita non possent non polluere templum illud, praesertim juxta ritus illius legis: Quae sententia probabilis est. Alii verò existimant, templum Judaeorum non caruisse hac immunitate: nam quod Exod. 21. dicitur Constituam tibi locum, in quem fugere debeas, ratione templi dictum esse putant: nam statim subditur: siquis per industriam

am occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo avelles eum ut moriatur. Quæ videtur esse exceptio à regula generali, nimirum ut, qui non per insidias, sed per occasionem hominem occideret, & ad templum confugeret, ibi esset securus. Idemque servatum fuisse in aliis casibus, colligi potest ex 3. Reg. 1. ubi Adonias timens Salomonem, in templum confugit, tanquam ad locum securum. Quod verò statim capit 2. de Joab refertur, ideo non fuit contra Immunitatem, quia Joab homicidia per insidias commiserat. Atque ita res videtur incerta, quamvis non videatur improbabilis opinio Abulensis, quia si talis Immunitas fuisset templo concessa, expressius fuisset in lege declarata. Altera autem pars de jure Divino positivo legis gratiæ facile probatur. Primò, quia tale jus, neque scriptum est, neque ab Apostolis traditum, nec enim talis traditio ex Patribus, aut alia probabili via ostendi potest. Secundò ex illo principio generali, quod

Christus

Christus nullas leges cæremoniales Ecclesia sua tribuit, præter substantiales ritus sacrificii, & sacramentorum: reliqua enim, quæ ad cæremonias, & sacra pertinent, per suos vicarios disponenda reliquit: inter hæc autem computari potest hæc immunitas. Unde ipsamet templorum benedictio, & consecratio ab Ecclesia est instituta, modus etiam hujus immunitatis, determinatio ejus quoad loca, personas, delicta, effectus, & alia hujusmodi, tota est, de Ecclesiastico jure, ut videbimus: ergo ipsa etiam Immunitas propriè, & immediatè solum est de jure eodem. Dico autem propriè, & immediatè, tum, quia jus Canonicum solet interdum vocari Divinum à Jurisperitis: hæc autem immunitas propriè est de Jure Canonico, & ad illud spectat illam præcipere, & instituere, & quia res spiritualis est, & ad Religionem spectans: tum etiam, quia mediate, & remote potest dici hæc immunitas manare à jure Divino, quia potestas ad illam instituendam

ab

ab ipso Christo data est, & ipsamet Immunitas est valde consentanea generali voluntati ipsiusmet Christi, qua voluit, omnia in Ecclesia sua ordinatè disponi, & sancta sanctè tractari. Atque his fortasse modis tractati sunt de jure Divino illi Juristæ, quos Abulens. allegat, dicit tamen, illos præcipuè fuisse fundatos in Immunitate sanctuarii, & ideo fortasse vocarunt Divinum hoc jus per quandam imitationem, quod etiam in jure non est inusitatum. Tamen simpliciter etiam ipsi Juristæ fatentur, hanc Immunitatem esse de jure Ecclesiastico, ut constat ex Abbate, & aliis in dicto cap. Inter alia. Et eandem sententiam optimè declarat Covar. *supra toto num. 2. ubi eruditè hanc institutionem congruam esse ostendit, tam exemplis Scripturæ sacræ, quam multis aliis ex humana historia desumptis.*

XVIII.

Dices si in V. T. Templum gavisum fuit hâc immunitate, jure divino; cur non

non templa N. T. cum lex habuerit figuram futurorum Bonorum *Ebr.19. v.1.*

Secundò, cum *Exod. 21.* dicatur: *Si quis per industriam & insidias occiderit proximum ab Altari eum avellas, ut moriatur*, videtur à contrario sensu inferendum in aliis casibus & delictis prohibitum esse, eodemque præcepto, quo illud jubetur, hoc prohiberi.

Tertiò, Christum non obscurè illam Immunitatem insinuasse dicendo *Matthei 23. Veniet super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram à sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachai, quem occidistis inter Templum & Altare.* quibus quidem verbis Christus voluerit immunitatem loci sancti indicare, facinus ex violatione illius exaggerare, & ideò exprimere hanc circumstantiam, ut intelligatur, cur vindicta gravior sit secutura, nempe quia Judæi in templo occiderunt Zachariam violatâ & insuper habitâ sedis sanctæ Immunitate.

XIX.

XIX.

Ista verò, tantum abest ut probent intentum, ut cui sanum est cerebrum mediocri adhibita diligentia vanitatem deprehendat. *Primum* non concludit. nam posito, quòd Templum Solomonæum, vel etiam alterum hoc jure fuerit insignitum; non tamen ad Templa N. T. passim in Orbe extructa decurreret consequentia, cùm id umbraticum esse potuisset, quod præsente corpore corruit, quemadmodùm plura imò ferè omnia in Templo illo præluserunt Christo & illius Sponsæ; non autem materiatis ædibus, vel in parte vel aliâs extruendis. *Secundò*, nondum probatum Templum Hierosolymitanum habuisse illam immunitatem, nec nisi de Ara in illo probabiliter constat. *Tertiò*, si habuisset immunitatem, non confestim ad jus divinum esset assurgendum, quasi tàm eminente titulo illam obtinuisset; cùm sequioribus temporibus, post captivitatem babylonicam potue-

potuerit illi aliquid indulgeri, partim doctrinâ Pharisæorum subleſtâ ſtimulante, partim Pontificum vel etiam Principum poteſtate privilegiis ornare hunc locum deſiderante, adeoque jure humano, nullo ſuppoſito juris divini indicio.

Alterum labaſcit; partim quia probat tantùm, ſi multum probat, Altare habuiſſe privilegium Aſyli non templum; partim, quia, ſi ad Templum extendatur, quod tamen extendi non debet, probat Templi Hieroſolymitani hanc fuiſſe gloriam, hanc prærogativam, quid hæc autem ad Templa Chriſtianorum ſub temporibus N. T.? partim quia locus ille ex Exodo non apodicticè concludit, ſed tantùm probabiliter colligit.

Tertium denique *primò* à ſcopo aberrat. Probandum erat *Igneo* Templa Chriſtianorum habere immunitatem ex jure divino poſitivo: at hoc non probat, poſito quod aliquid probet; ſed hoc

hoc tantum: Templum Hierosolymitanum, illud in quo occisus fuit Zacharias hoc privilegio fuisse inclutum, de quo non est quæstio.

Secundò supponit incerta. Nondum enim demonstratum est, agere Christum ex capite immunitatis & his verbis illam velle indicare, aut Judæorum exaggerare malitiam. Cùm possit facere ad descriptionem subjecti, illa circumstantia ex loco petita. Exaggeratio autem sufficienter exponitur per Prophetarum, Sapientum & Scribarum trucidationem, flagellationem, crucifixionem, persecutionem ex adultâ radice amarâ sanguinolenti animi à priscis temporibus tot artibus manifestata.

Tertiò non concludit; posito quòd loci mentione exaggerare intendat perversitatem Judæorum. Non enim, si peccatum exaggeratur mentione loci sacri, immunitas confestim conclusa erit; cùm si quis aliquem in nostrorum Templorum aliquo cōfoderet, quæ tamen omnia

mnia non gaudent ullâ immunitate delictorum, æquè possèt factum hoc exaggerari tanquam patratum in æde DEO dicatâ, Christianorum cœtibus illustri, precum & aliorum exercitiorum spiritualium usu frequentata. Infirmitatem socius Religionis & Ignem hunc Ignei erraticum extinxit sequentia reponens: *Nihil minus ibi habetur quàm violatæ Immunitatis ratio, apertè enim ex ipso contextu verborum apparet Christum nihil aliud eo loco intendisse, quàm redarguere Judæos, à quibus ipse ad necem agnus innocens quærendus erat, quod jam censuevissent Judæi Prophetas, justosque homines necare. Præmiserat enim Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & scribas, & ex eis occideris & crucifigetis in synagogis vestris, & tunc subdit, ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, numeransque justos mentionem facit Zachariæ filii Barrachiæ occisi inter templum & altare: tunc denuo reprehensionem*

nem assumens nullam amplius facit loci sacri mentionem, in quo postrema illa occisio patrata erat, sed solius occisionis justorum, dicens, Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas &c. vt hac ratione appareat totam communicationis, aut etiam reprehensionis vim in eo positam esse, quòd occidat justos, & eos quos fovere debuisset. Expressit autem locum inter templum & altare, vt ex hoc intelligeretur, quis ille fuerit justus Zacharias, qui fuerat occisus. Qui si etiam facta loci mentione vix cognosci potuit, quisnam fuerit, ut multi multa senserint, D. Hieronymo teste super eum locum, mansisset omninò incognitus, si expressus necis locus non fuisset. Secundò respondeo certum esse expressionem illam templi nullatenus ad violatam immunitatem posse referri, cùm non fugerit Zacharias in templum, ut ibi impunitatem consequeretur, sed in templo degens, tanquam justus ac populum reprehendens de idololatria in eodem loco lapidibus obrutus est. 2. Paral. 24.

24. *Addo tertiò etiamsi dicta essent à Christo ea verba Judæis ad exprobrandum eis immunitatis illius templi violationem, adhuc nullam habere vim ad probandam nostrarum Ecclesiarum immunitatem; non enim licet argumentari ab illo templo ad nostras Ecclesias, ut ex primo dicto constat.*

XX.

Ipsi proinde Pontificii Doctores agnoscunt immunitatem Ecclesiarum primùm ex consuetudine fuisse ortam, postea verò jure civili & canonico fuisse confirmatam, Gamb. pag. 153. §. 9. & seq. *Tertiò ex certis ad incerta descendendo valde probabile mihi est nostrarum Ecclesiauum immunitatem ex consuetudine ortam primum fuisse, postea verò in lege positam. Ego enim de primis illis Christianorum fervoribus, deque summam eorum religione sic judico: Cùm essent assueti gentium asylis, & Judæorum templo, sive qui ex Judæis, sive qui ex gentibus convertebatur ad fidem, cumque*

que viderent asyla passim crescere, prout illis ipsis temporibus crevisse, ex his quæ primo lib. retulimus ex Tacito & Suetonio apparet, non potuisse se cohibere, quin suis etiam Ecclesiis eundem honorem haberent. Non enim capere possum, sed nec sufficio cogitare primis illis nascentis Ecclesiæ temporibus in mediis veritatis splendoribus, insigni illorum templorum sanctitate, curaque debitæ religionis, aut adeò cæcos fuisse Christianos, ut hanc lucem non cernerent, aut adeò parum religiosos, ut eam non reciperent. Quin putandum est eos graviter timuisse, sicut timere decebat, ne si hunc honorem qui insignis cujusdam loci sanctitatis certa nota erat, Christi Ecclesiis deesse paterentur, eo ipso viderentur eorum sanctitati detrahere, ac Gentilibus eas contemnendi occasionem præbere, erat eo tempore major necessitas nostras Ecclesias honorandi, cùm a Gentilibus contemnerentur, ut omnibus saltem constaret eas apud nos tanti fieri, & eo sancto jure coli, quo erant

rant eorum asyla. Sed præter has probabiles conjecturas favet singulariter huic sententiæ insignis textus in can. frater 17. q. 4. quem quoniam miror à nemine hactenus observatum, sicco pede pertransire non possum, ut quantum habeat ad hoc probandum momenti, pleniùs cognoscamus. textus est Gelasii Papæ qui Epiphanii Episcopi sententiam contra Benenatum, & Maurus (qui hominem de Ecclesia per vim extraxerant) probasset, subdit hoc ne potestatibus quidem ac principibus unquam licuisse perpetrare. Is fuit Gelasius hujus nominis primus, qui etiam primus ante omnes alios Pontifices cœpit de Ecclesiarum immunitate statuere, ante cujus tempora nulla extabant canonicæ de hac immunitate leges. Hic ergo Pontifex his suis primis canonibus & probat Epiphanii Episcopi sententiam latam contra eos qui Ecclesiarum immunitatem violassent, & testatur nunquam licuisse ne ipsis potestatibus ac sæculi principibus extrahere quem-

quam

quam de Ecclesiis. Primum quarto cui juri innixa erat sententia Epiphanii contra illos violatores immunitatis lata, ut probari mereretur? Non puto soli juri civili Imperatorum, quoniam eo loco Gelasius illam immunitatis violationem vocat sacrilegium, ex solo autem civili jure rationem sacrilegii habere non poterat, & cùm immunitas sit meri juris humani, non potest habere rationem sacrilegii ex natura sua, qua nec peccatum quidem esset, nisi lege prohiberetur; ergo aliquid aliud assignandum est unde sacrilegii rationem haberet: aut tu ergo id assigna si quid habes, aut mecum fatere accepisse sacrilegii rationem ex communi populi consuetudine observantis immunitatẽ Ecclesiarum tanquam aliquid sacrum. Deinde observo verbum illud, nunquam; quæro quonam jure nunquam licuit Principibus seculi extrahere confugas de Ecclesia? quo jure fuit illis prohibitum? & primùm refero verbum illud nunquam usque ad principia nascentis Ecclesiæ, vel

circa. *Modò ante Gelasium nullum extabat jus caconicum, quo prohibitum esset Dices fuisse prohibitum jure civili codicis, id quod solum prima fronte videturdici posse: sed neque hoc ratione dici potest. Pro quo suppono Gelasium primum gessisse Pontificatum circa annum Domini 495. Civile autem jus immunitatis primùm ante omnes alios per Honorium ac Theodosium cœpit constitui octaginta ferè annis ante Gelasii Pontificatum. hac facta certa suppositione, vt ex historiis constat, & ostendetur à nobis cap. sequenti, probo non posse dictum Gelasii referri ad jus civile. Ait enim nunquam licuisse, quòd si civili jure non licuit, solùm per illos octaginta annos non licuit, qui intercessere ab Honorio & Theodosio Imperatoribus usque ad Gelasium: quod tempus valde exiguum est si conferatur cum quadragentis quindecim anannis, qui à Christo ad dictos Imperatores intercesserunt: necessariò ergo recurrendum est ad antiquissimam consuetudinem,*

dinem, quæ non modò à populo, sed ab ipsis etiam principibus tanquam sacra semper servata sit, & ita inviolabiliter, ac religiosè observata, vt ipsi Principes putarent, aut etiam exteriùs significarent sibi non licere eam violare. Secundò probo, quoniam suo civili jure non adeò arctantur principes, vt absoluiè dici possit eis non licere id quod suo jure prohibetur. Potuissent enim tunc Principes, quando nulla canonica jura extabant, in suo illo jure dispensare, saltem ex gravi aliqua & rationabili causa, qua occurrente licuisset: non ergo dici posset nunquam licuisse. Dicet aliquis hæc verba dicta esse à Pontifice per quandam exaggerationem, ideoque non opus esse omnino in sensu rigoroso verificari. Sed contrà, quia non videtur exaggerationi locus esse, cùm agitur de re seria, & gravi, neque verò tanta exaggeratio facienda erat, vt quod modico tempore non licuerat, dici posset nunquam licuisse, nec tanta exaggeratio, vt quod licere poterat, nunquam licuisse

forma: ergò singulari quadam, summaque antiquitate consuetudo illa canonis præcedit. Et pag. 157. §. 6. *Venio ad utraque jura, & jurium auctores. Primi enim leges de ea tulere Imperatores, quorum tanta fuit olim erga Ecclesiam pietas, & reverentia, ut sicut in cæteris illi concedendis privilegiis, quæ Ecclesias personasque ecclesiasticas concernunt, ita in hoc quoque Ecclesiam ipsam Romanosque Pontifices prævenerint, ut Romani Pontifices magis sponte oblatum hoc privilegium acceptarent, quàm ipsi instituerent: ita autem authores, & summa eorundem jurium capita percensebo, ut simul habita ratione temporum tota constituta immunitatis series in hoc capite velut in quadam tabella depicta ob oculos proponatur.* Consimilia leges apud Academiæ Conimbricensis Professorem Primarium, qui ita §. 12, 13. *Secundò interrogari potest, quam sit antiqua in Ecclesia hæc immunitas. Respondeo breviter, nihil de hoc certò constare: unde probabile est, cum ipsa templorum solenni*

de-

dedicatione incepisse, hoc est, à temporibus Constantini, ab eo enim tempore Ecclesiæ Christianæ publicæ ædificata sunt. Et tamen Nazian. & Amb. illius fere ætatis Episcopi illam significasse videntur: Ille orat. 20. hic Epist. 33. alias libro 2. Epist. 14. Constat etiam tempore Chrysostomi jam fuisse latam legem pro hac Ecclesiarum Immunitate: nam Eutropius contra hanc Immunitatem fecit, ab Imperatore Arcadio legem statui, contra quam legem extat oratio apud Chrysost. tom. 5. Illa verò lex non prævaluit, sed statim extincta est, ut refert Nicephor. lib. 12. cap. 4. Socrates lib. 6. cap. 5. & Prosper de Prædictionibus & promissionibus Dei, 3. part. cap. 38. Eandem legem consuetudine observantium supponit August. Epist. 187. ad Bonifacium. Decreta etiam, quæ allegavimus, satis antiqua sunt, nimirum Gelasii primi ante mille centum annos, & Concil. Ilerdensis cap. 8. fere ejusdem antiquitatis. Item Concil. Aure. primum in cap. 3. 4. & 5. hanc Immunitatem latè declarat, & in-

omnia non gaudent ullâ immunitate delictorum, æquè posset factum hoc exaggerari tanquam patratum in æde Deo dicatâ, Christianorum cœtibus illustri, precum & aliorum exercitiorum spiritualium usu frequentata. Infirmitatem socius Religionis & Ignem hunc Ignei erraticum extinxit sequentia reponens: *Nihil minus ibi habetur quàm violatæ Immunitatis ratio, apertè enim ex ipso contextu verborum apparet Christum nihil aliud eo loco intendisse, quàm redarguere Judæos, à quibus ipse ad necem agnus innocens quærendus erat, quod jam consuevissent Judæi Prophetas, justosque homines necare. Præmiserat enim Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & scribas, & ex eis occideris & crucifigetis in synagogis vestris, & tunc subdit, ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, numeransque justos mentionem facit Zachariæ filii Barrachiæ occisi inter templum & altare: tunc denuo reprehensionem*

nem assumens nullam amplius facit loci sacri mentionem, in quo postrema illa occisio patrata erat, sed solius occisionis justorum, dicens, Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas &c. ut hac ratione appareat totam communicationis, aut etiam reprehensionis vim in eo positam esse, quòd occidat justos, & eos quos fovere debuisset. Expressit autem locum inter templum & altare, ut ex hoc intelligeretur, quis ille fuerit justus Zacharias, qui fuerat occisus. Qui si etiam facta loci mentione vix cognosci potuit, quisnam fuerit, ut multi multa senserint, D. Hieronymo teste super eum locum, mansisset omninò incognitus, si expressus necis locus non fuisset. Secundò respondeo certum esse expressionem illam templi nullatenus ad violatam immunitatem posse referri, cùm non fugerit Zacharias in templum, ut ibi impunitatem consequeretur, sed in templo degens, tanquam justus ac populum reprehendens de idololatria in eodem loco lapidibus obrutus est. 2. Paral. 24.

24. *Addo tertiò etiamsi dicta essent à Christo ea verba Judæis ad exprobrandum eis immunitatis illius templi violationem, adhuc nullam habere vim ad probandam nostrarum Ecclesiarum immunitatem; non enim licet argumentari ab illo templo ad nostras Ecclesias, ut ex primo dicto constat.*

XX.

Ipsi proinde Pontificii Doctores agnoscunt immunitatem Ecclesiarum primùm ex consuetudine fuisse ortam, postea verò jure civili & canonico fuisse confirmatam, Gamb. pag. 153. §. 9. & seq. *Tertiò ex certis ad incerta descendendo valde probabile mihi est nostrarum Ecclesiauum immunitatem ex consuetudine ortam primum fuisse, postea verò in lege positam. Ego enim de primis illis Christianorum fervoribus, deque summam eorum religione sic judico: Cùm essent assueti gentium asylis, & Judæorum templo, sive qui ex Judæis, sive qui ex gentibus convertebatur ad fidem, cum-*

que

que viderent asyla passim crescere, prout illis ipsis temporibus crevisse, ex his que primo lib. retulimus ex Tacito & Suetonio apparet, non potuisse se cohibere, quin suis etiam Ecclesiis eundem honorem haberent. Non enim capere possum, sed nec sufficio cogitare primis illis nascentis Ecclesiæ temporibus in mediis veritatis splendoribus, insigni illorum templorum sanctitate, curaque debitæ religionis, aut adeò cæcos fuisse Christianos, ut hanc lucem non cernerent, aut adeò parum religiosos, ut eam non reciperent. Quin putandum est eos graviter timuisse, sicut timere decebat, ne si hunc honorem qui insignis cujusdam loci sanctitatis certa nota erat, Christi Ecclesiis deesse paterentur, eo ipso viderentur eorum sanctitati detrahere, ac Gentilibus eas contemnendi occasionem præbere, erat eo tempore major necessitas nostras Ecclesias honorandi, cùm à Gentilibus contemnerentur, ut omnibus saltem constaret eas apud nos tanti fieri, & eo sancto jure coli, quo e-

rant

rant eorum asyla. Sed præter has probabiles conjecturas favet singulariter huic sententiæ insignis textus in can. frater 17. q. 4. quem quoniam miror à nemine hactenus observatum, sicco pede pertransire non possum, ut quantum habeat ad hoc probandum momenti, plenius cognoscamus. textus est Gelasii Papæ qui Epiphanii Episcopi sententiam contra Benenatum, & Maurus (qui hominem de Ecclesia per vim extraxerant) probasset, subdit hoc ne potestatibus quidem ac principibus unquam licuisse perpetrare. Is fuit Gelasius hujus nominis primus, qui etiam primus ante omnes alios Pontifices cœpit de Ecclesiarum immunitate statuere, ante cujus tempora nulla extabant canonicæ de hac immunitate leges. Hic ergo Pontifex his suis primis canonibus & probat Epiphanii Episcopi sententiam latam contra eos qui Ecclesiarum immunitatem violassent, & testatur nunquam licuisse ne ipsis potestatibus ac sæculi principibus extrahere quemquam

quam

quam de Ecclesiis. Primum quarto cui juri innixa erat sententia Epiphanii contra illos violatores immunitatis lata, ut probari mereretur? Non puto soli juri civili Imperatorum, quoniam eo loco Gelasius illam immunitatis violationem vocat sacrilegium, ex solo autem civili jure rationem sacrilegii habere non poterat, & cùm immunitas sit meri juris humani, non potest habere rationem sacrilegii ex natura sua, quæ nec peccatum quidem esset, nisi lege prohiberetur; ergo aliquid aliud assignandum est unde sacrilegii rationem haberet: aut tu ergo id assigna si quid habes, aut mecum fatere accepisse sacrilegii rationem ex communi populi consuetudine observantis immunitatẽ Ecclesiarum tanquam aliquid sacrum. Deinde observo verbum illud, nunquam; quæro quonam jure nunquam licuit Principibus seculi extrahere confugas de Ecclesia? quo jure fuit illis prohibitum? & primùm refero verbum illud nunquam usque ad principia nascentis Ecclesiæ, vel

 circa

circa. Modò ante Gelasium nullum extabat jus caconicum, quo probibitum esset Dices fuisse prohibitum jure civili codicis, id quod solum prima fronte videturdici posse: sed neque hoc ratione dici potest. Pro quo suppono Gelasium primum gessisse Pontificatum circa annum Domini 495. Civile autem jus immunitatis primùm ante omnes alios per Honorium ac Theodosium cœpit constitui octaginta ferè annis ante Gelasii Pontificatum. hac facta certa suppositione, vt ex historiis constat, & ostendetur à nobis cap. sequenti, probo non posse dictum Gelasii referri ad jus civile. Ait enim nunquam licuisse, quòd si civili jure non licuit, solùm per illos octaginta annos non licuit, qui intercessere ab Honorio & Theodosio Imperatoribus usque ad Gelasium: quod tempus valde exiguum est si conferatur cum quadragentis quindecim annis, qui à Christo ad dictos Imperatores intercesserunt: necessariò ergo recurrendum est ad antiquissimam consuetudinem,

dinem, quæ non modò à populo, sed ab ipsis etiam principibus tanquam sacra semper servata sit, & ita inviolabiliter, ac religiosè observata, vt ipsi Principes putarent, aut etiam exteriùs significarent sibi non licere eam violare. Secundò probo, quoniam suo civili jure non adeò arctantur principes, vt absolutè dici possit eis non licere id quod suo jure prohibetur. Potuissent enim tunc Principes, quando nulla canonica jura extabant, in suo illo jure dispensare, saltem ex gravi aliqua & rationabili causa, qua occurrente licuisset: non ergo dici posset nunquam licuisse. Dicet aliquis hæc verba dicta esse à Pontifice per quandam exaggerationem, ideoque non opus esse omnino in sensu rigoroso verificari. Sed contrà, quia non videtur exaggerationi locus esse, cùm agitur de re seria, & gravi, neque verò tanta exaggeratio facienda erat, vt quod modico tempore non licuerat, dici posset nunquam licuisse, nec tanta exaggeratio, vt quod licere poterat, nunquam licuisse

dicatur. Huic textui Galasii PP. objici potest antiquior canon Concilij Arausicani cap. 4. qui refertur in can. eos qui, d. 87. & duo canones D. Aug. qui habentur 17. q. 4. c. miror, &c. reum. qui Augustinus circa eadem tempora floruit, celebratum autem fuit Concil. Arausic. sub Leone PP. I. tempore Thodosii junioris Imperatoris, à quo edita fuit 2. lex civilis: his autem canonibus statutum immunitem, ut propterea & sacrilegium vocetur, & dicatur, nunquam licuisse Principibus contrarium facere: sed hoc parum obstat, cùm enim pauciores anni intercesserint inter hunc canonem, & canones Gelasii, quàm inter Gelasium, & primò jus civile, adhuc minus dici possit nunquam licuisse. Deinde Concilium Arausicanum provinciale erat, & juris vim ubique non habebat, neque tempore Gelasii erat confirmatum, nec inter canones ille textus relatus. Quare probabilius est mihi tam dictum Concilium, quàm D. Aug. fundasse dicta sua in illa jam recepta populi

con-

consuetudine, quæ per longa canonica habebatur, neque verò illa Augustini dicta erant tunc inter canones relata. Favet tandem eidem sententiæ textus præsentis constitutionis §. 3. ubi cùm faciat Pontifex antiquitatis, consuetudinis, jurisque immunitatis Ecclesiarum mentionem, consuetudinem priore loco exprimit, posteriore verò sacros canones, quo facto videtur antiquitatis servasse ordinem, ut quo ordine inchoata fuerunt, eo ordine referantur, ubi etiam observa quòd disciplinam majorum, id est, consuetudinem vocat priscam, canones verò vocat veteres: priscum autem majorem quandam antiquitatem sonare videtur, quàm vetus. Demum disciplinam non modò priscam vocat, sed addit vocem relativam, dicens, prisca illa majorum disciplina, quæ duo verba simul conjuncta singularem quandam antiquitatem majoremque vetustatem demonstrant, quàm quæ simplici verbo vetustatis exprimitur, cùm dicitur vetus sacrorum canonum

forma: ergò singulari quadam, summa-que antiquitate consuetudo illa canonis pracedit. Et pag. 157. §. 6. *Venio ad u-traque jura, & jurium auctores. Primi enim leges de ea tulere Imperatores, quo-rum tanta fuit olim erga Ecclesiam pie-tas, & reverentia, ut sicut in cateris illi concedendis privilegiis, quae Ecclesias per-sonasque ecclesiasticas concernunt, ita in hoc quoque Ecclesiam ipsam Romanos-que Pontifices pravenerint, ut Romani Pontifices magis spontè oblatum hoc pri-vilegium acceptarent, quàm ipsi institue-rent: ita autem authores, & summa eo-rundem jurium capita percensebo, ut si-mul habita ratione temporum tota con-stituta immunitatis series in hoc capite velut in quadam tabella depicta ob oculos proponatur.* Consimilia leges apud Aca-demiæ Conimbricensis Professorem Primarium, qui ita § 12, 13. *Secundò interrogari potest, quam sit antiqua in Ecclesia hac immunitas. Respondeo bre-viter, nihil de hoc certò constare: unde probabile est, cum ipsa templorum solenni de-*

dedicatione incepisse, hoc est, à temporibus Constantini, ab eo enim tempore Ecclesiæ Christianæ publicæ ædificatæ sunt. Et tamen Nazian. & Amb. illius fere ætatis Episcopi illam significasse videntur: Ille orat. 20. hic Epist. 33. alias libro 2. Epist. 14. Constat etiam tempore Chrysostomi jam fuisse latam legem pro hac Ecclesiarum Immunitate: nam Eutropius contra hanc Immunitatem fecit, ab Imperatore Arcadio legem statui, contra quam legem extat oratio apud Chrysost. tom. 5. Illa verò lex non prævaluit, sed statim extincta est, ut refert Nicephor. lib. 12. cap. 4. Socrates lib. 6. cap. 5. & Prosper de Prædictionibus & promissionibus Dei, 3. part. cap. 38. Eandem legem consuetudine observantium supponit August. Epist. 187. ad Bonifacium. Decreta etiam, quæ allegavimus, satis antiqua sunt, nimirum Gelasii primi ante mille centum annos, & Concil. Ilerdensis cap. 8. fere ejusdem antiquitatis. Item Concil. Aure. primum in cap. 3. 4. & 5. hanc Immunitatem latè declarat, & in-

ter alia inquit: *De homicidis, adulteris, & furibus, si ad Ecclesiam confugerint, id constituimus observandum, quod Ecclesiastici Canones decreverunt, & lex Romana constituit, ut ab Ecclesiæ atriis, vel domo Episcopi reos abstrahere omninò non liceat.* Ex quibus verbis satis constat, hanc Immunitatem antiquiorem esse illo Concilio, cùm tamen illud etiam fuerit tempore Hormisdæ Papæ ante mille centum annos celebratum. Constat etiam ex eisdem verbis non solùm jure Canonico, sed etiam Civili hanc Immunitatem fuisse confirmatam. Quod etiam constat ex toto titulo Cod. de His, qui ad Ecclesiam confugiunt. Nam licet solum jus Canonicum potuerit hoc jus introducere, & in rigore non indigeat ad illud introducendum Imperatoria, vel regia potestate, nihilominus & Principes illi seculares potuerunt pro sua pietate hoc privilegio Ecclesiam (ut sic dicam) prævenire; & condecorare, & ipsi Pontifices, & Concilia ad majorem suæ legis observantiam

volue-

voluerunt etiam Principum auctoritate juvari. Et ideo Concilium *Tolet. 12. capit. 10. sic dixit: Pro his, qui quolibet metu, vel terrore Ecclesiam appetunt, consentiente pariter gloriosissimo Domino nostro Eringio Rege, hoc sanctum Concilium definivit, ut nullus audeat confugientes ad Ecclesiam, vel residentes inde vi abstrahere. Et Innocent. III. in dict. cap. inter alia, statuta Canonum, & traditiones Regum alleget. Unde verisimile est, quòd sicut aliæ immunitates Ecclesiasticæ, quamvis auctoritate* Pontificem *fuerint principaliter introductæ, non sine consensu Imperatorum fuerunt generaliter stabilitæ non quidem ex necessitate, sed ex suavi Ecclesiæ providentia, ut alibi diximus: ita hæc Immunitas Ecclesiarum, de qua tractamus: eodem modo simul à jure* Canonico *statuente, & adjuvante* Civili, *initium sumpsit. Et ita leges Civiles, & Canonicæ, quæ hanc Immunitatem concedunt, ferè ejusdem antiquitatis sunt: quamvis inter eas,*

 quas

quas invenimus scriptas, Civiles paulo antiquiores videantur. Utcumque tamen sit certum est, jus Canonicum in hoc puncto majorem habere auctoritatem: imò propriam, & (ut sic dicam) intrinsecam potestatem, quia materia hac (ut dixi) Ecclesiastica propriè est, & Canonica, ut rectè tradiderunt Gloss. in d. c. Sicut antiquitus, 17. q. 4. & Gl. in d. c. Inter alia, & ibi Abbas num. 24. & alii multi, quos refert, & sequitur Covarruvias supra num.3. Consentit Laymannus p.326.§.1. scribens: *Quo jure asylum, sive immunitas Reis, ad ecclesiam &c. confugientibus, constituta sit? Respondeo, Legibus tum civilibus Christianorum Imperatorum, Cod. de his qui ad ecclesiam confugiunt: Et Auth. de mandatis Principum, §. Sed nec homicidis, tum multò magis canonicis statutis, quibus etiam dicta leges civiles approbata, & stabilita fuerunt, sicuti constat ex cap. inter alia, de immunit. Eccles. ibi: juxta sacrorum statuta canonum, & traditiones*

legum

legum civilium. Et c. id constituimus. 17. q. 4. ex Concil. Aurelian. 1. cap. 3. Id constituimus observandum, quod Ecclesiastici canones decerverunt, & lex Romana constituit, ut ab ecclesiæ atriis, vel domo Episcopi Reos abstrahere omnino non liceat, c. eos qui, d. 87. ex Concil. Arausicano 1. cap. 5. Eos, qui ad ecclesiam confugiunt, tradi non oportere; sed loci sancti reverentia, & intercessione defendi. Vide etiam cap. sicut antiquitus, cap. Reum, cap. si quis contumax. cap. definivit, eadem quæst. 4. S. August. epist. 187. ad Bonifac. & S. Chrysost. serm. invectivo contra Eutropium, tomo 5. Enimvero licet probabilior sit sententia Covarruv. 2. resolut. cap. 20. num. 2. & aliorum, contra Abulensem in cap. 20. Iosue. q. 7. In lege veteri, præter civitates refugii, de quib. cit. c. 20. etiam ipsum templum Hierosolymitanum Reis pro asylo constitutum fuisse. idque colligi videtur ex c. 21. Exodi. Constituam tibi locum, in quem fugere debeas, videlicet altare templi; attamen

men lex illa Mosaica post Christi mortem expiravit; adeoque non ex illius obligatione, sed solùm ad imitationem, & multò magis secundùm juris naturalis congruam æquitatem, talis immunitas sacratis locis concessa est. Dico congruam æquitatem: Non enim id absolutè præcipit lex naturalis, etiam supposita sanctitate loci; quippe cui extractio malefactorum, quæ per se justa est, haud repugnare videtur. Multò minùs lex positiva Evangelica talem immunitatem decrevit: quandoquidem Christus, supra legem naturæ, ac Fidei, nullas leges ceremoniales præscripsit; nisi circa ritus Sacrificii & Sacramentorũ; reliqua verò Ecclesiæ disponenda reliquit, sicuti notavit Covar. l. c. n. 2. & Suarez t. 1. de relig. tract. [illegible] lib. 3. c. 8. n. 13.

Juris Canonici Interpretes ita decernũt: *Sacrorum locorum intuitu illis cõceditur immunitas, qui ad ipsam ecclesiam confugiunt: nam si eos, qui ad statuam Principis se proripiunt, ab omni violentia leges seculares vindicant, quantò magis convenit*

venit

venit ad templum Domini confugientes, loci sancti reverentiâ, & authoritate defendi? Quicunque igitur inde hominem reluctantem, reclamantemque violenter abstraxerit, tam aliis pœnis pro sacrilegio, quod admisit, quàm Ecclesiastica subjacebit excommunicationi.

XXI.

Non tantùm extensa fuerunt jura Asyli ad Personas legi divinæ incognitas, sed & ad loca quamplurima: ab Imperatoribus quædam Immunitates fuerunt concessa sacrosanctis Ecclesiis sive Templis, nec illis tantùm, sed & altaribus Oratorio Templi circumjecto, ad extremas fores Ecclesiæ, quas oratum gestiens populus primas ingreditur, cellulis, fontibus, hortulis, balneis, areis atque porticibus, ut quidem docent verba Imperatorum Theodosii & Valentiniani ad Antiochum Præfectum prætorio lib. 1. Codic. Tit. XII. §. 3.

XXII.

Non acquievit fimbrias suas extendens

dens Pontifex hâc ſatis laxa indulgentiâ Cæſarum, ſed jus Aſyli non tantùm magnis baſilicis & Templis, ſed etiam Capellis vel Sacellis modò publicæ ſint appropriavit, nec non ſeptis Eccleſiæ, Altaribus omnibus, vel intra Eccleſias vel Eccleſiæ muris adjacentibus, portis, ſcalis, ſeu gradibus quibus ad Eccleſiam aſcenditur, atrio, porticibus, ſpatio triginta paſſuum Locū, minores Eccleſias, quas Capellas vocant quadraginta verò circa majores paſſu accepto ſecundum expoſitionem Iſidori, pro menſurâ quinque pedum, qui quindecim digitos continet; Præterea hoc privilegium extendit ad Eccleſias deſtructas, quæ vel tecto carent, vel parietibus aut ex toto aut ex parte.

Ulterius hâc immunitate gaudent Cœmeteria ad quæ confugere poſſunt etiam qui in Eccleſia delinquunt, domus ſeu palatium Epiſcopi, Monaſteria, domus conductitiæ Monachorum aliàs ſeculares, toto eo tempore, quo initio

initio Monachi inhabitant; imperfectæ domus, & quæ alicui Monasterio subjacent, quas Gangrias vocant, domus regulares; sive perfectæ habentes proprium prælatum, sive imperfectæ, etiamsi sint conductitiæ, Domus secularium Clericorum simul viventium instar religiosorum, Hospitalia pauperum & nosocomia infirmorum, domus Orphanorum, reparatarum Virginum, malè maritarum, qualem Panormi erigendum curavit Maria Pimentel Comitis Olivarii Uxor, Palatia Cardinalium Ecclesiæ Romanæ, Palatia Oratorum, Supremorum Principum, Palatia nonnullorum Principum Romanorum; imò ipse Episcopus cum plebe circumstante confugientem à pœna liberat ex sententia Hugonis Episcopi, Sacerdos deferens sacrosanctam Eucharistiam; de quo consulendi Joannes de Weschis, Guilielmus de Monte, Sylvester, Angelus, Jason, Farinacius, Gomezius, Covarruvias, Clarus, Placha & alii.

XXIII.

XXIII.

Verùm hæc ruinosa sunt & absque omni fundamento, nulla est Basis in privilegium hoc tàm latè exponente Pontifice, qui potestate ut legislativa destituitur, ita & privilegia concedendi caret authoritate; nulla in ipsa Ecclesia aptitudo ad hæc, cùm non eum in finem extruantur Templa nec sanctitate quadam fulgeant intrinseca (videantur Junius cap. 4. nota 35. Rivet. Tom. 2. contra Bail. q. 41. Amesius Tom. 2. Bell. Lib. 6. c. 7. q. 3. 5. & seq. Calvinus lib. 3. Inst. cap. 20. sectione 30. Hospinianus de Templis cap. 13. Nec si sanctitate quadam gauderent intrinseca, ita huic fini subservirent spurio, omni sanctitati adverso; nulla denique in cæteris locis, quæ Pontifex vult inviolabilia, Ratio inveniri potuit, quæ prudenter persuadeat debitam esse illis Asylian; imò cum tàm latè hoc privilegiũ tenditur ut intolerabile Reipublicæ.

Unde ex Pontificiis quidam dissimulare

mulare nequeunt hoc malum, & agnoſcere coguntur, *Templa Chriſtianorum longè majore numero eſſe hodiè, quàm unquam fuerint gentium aſyla, cùm in ſingulis penè viis complura cernamus, eaque turmatim, ut ita dicam, excitata, ut bina, terna, quaterna ſimul eodem penè loco ſurgant, & plura quotidiè de novo excitentur. Vox prætereà populi,* ajunt, *conquerētis ſubauditur, omnes criminum reos ab Eccleſiis protegi, ac per eam commoditatem, libertatem creſcere peccandi, ut facilè cuipiam videri poſſit, nos in ſimilia tempora incidiſſe, ac ſub Tyberio fuere. Addunt in pleriſque Hiſpaniarum provinciis Epiſcoporum, & populorum communi conſenſu jam hanc ipſam ob cauſam reſtrictam eſſe conſuetudine immunitatem ad eas tantùm Eccleſias, in quibus ſanctiſſima Euchariſtia perpetuò aſſervatur, cujuſmodi ſunt cathedrales, & majores Eccleſiæ cum Eccleſiis parochialibus, Eccleſiæ religioſorum utriuſque ſexus, & nonnullæ*

nulla aliæ perpaucæ, ut ex aliis Ecclesiis, in quibus sacrosancta Eucharistia non asservatur, liceat reos criminum extrahere, quasi simili malo, simile remedium adhibitum sit, quod Tyberius adhibuit moderando numero Ecclesiarum, quibus immunitas concedatur, quam consuetudinem refert.

XXIV.

Existimant verò Pontificii non tantùm immunitatem confugii convenire Ecclesiæ, sed & debitam esse multiplici nomine & Titulo; Primum quidem esse DEI præsentiam & favorem singularem, quem exhibere soleat Ecclesiis; alterum esse Sanctitatem ex inhabitante Christo DEI verbo incarnato omnis sanctitatis fonte & inprimis ex Sacrosancto Eucharistiæ Mysterio, per quod corporaliter sese exhibeat Christus præsentem; tertium esse præsentiam Spiritus Sancti, qui largitor & distributor omnis sanctitatis; quartum esse solennem

nem conſecrationem;quintum eſſe ſanctorum reliquias; ſextum eſſe peculiarem illum influxum ſanctitatis in noſtras mentes; præter hos inſuper immunitatem deberi propter legis Evangelicæ manſuetudinem, Chriſti Exemplum mitiſſimi, Miraculorum gloriam, cum multoties defenſi fuerunt miraculoſe qui ad illas confugerant.

XXV.

Infirma autem ſunt hæc omnia. nam nec Pater Gratia, nec Filius ſanguine, nec Spiritus Chariſmatum abundantia ſunt præſentes Eccleſiis Lapideis ut volunt Pontificii, ſed habitant potius in Mentibus piorum, neque Loca ſacra ita dicuntur, quaſi Numen Beneficiorum ſuorum diſpenſatione illis ſit affixum, nec par ratio Templorum V. & N. Teſtamenti: **quanquam & ibi non ſanctitate quædam intrinſeca Templum fuerit divinitus imbutum.**

Secundò, **Conſecratio illa Templorum merus Ritus eſt, ſeparans à profa-**

no

no Usu & Sacris destinans aliquod Templum; imò prout in papatu illa obtinet inter Superstitiones referenda.

Reliquiæ itidem Sanctorum hic nihil conducunt, quia partim sunt suppositiæ, partim, si veræ, terræ deberent mandari; partim nihil habent sanctitatis, multò minus aliis conferre possunt.

Tertiò, **commentum merum est peculiaris ille influxus.** quanquam si quis in Ecclesia commoveatur non tàm hoc tribuendum Lapidibus, ex quibus constructa, quàm verbo, quod in illa prædicatur, Sacramentis, quæ ibidem dispensantur, cantionibus & præcibus, quæ isto in Loco funduntur. Longè quippe aliud est in Ecclesia oboriri motus bonos & ab Ecclesia illos concitari.

Miracula in Papatu, quia boni Clerici multas patiuntur Phantasias inter Papaveris medicati ludibria referimus. quanquam etiam à Diabolo quandoque aliquid

quid præstari possit, quod mentes fascinet & simpliciores decipiat.

Quid? si omnia lagiremur: num tamen immunitas confestim esset conclusa? cùm hoc tantùm sequeretur: Ecclesiam esse Locum Sacrum, esse venerabilem, esse officiis quibusdam splendidum, Immunitatem autem illi deberi & Asyli nondum esset evictum. Templum enim Hierosolymitanum Locus quoq; fuit Sanctitate inclytus, nec tamē Pontificii hactenus apodicticè probare potuerunt habuisse jus Asyli, nec de Altari in illo ultra probabilitatis gradum progredi poterunt, de quo supra. Et si ponamus omnia, potius sequeretur arcendos esse ab ingressu Loci tam sancti, illos quos Papalis Ordo vult recipi, cùm dehonestamēta sint Templorū Adulteri, Assasini, Raptores & alii furfuris istius homines, nec conveniat Luci cum Tenebris, Christo cum Beliale, fœditati peccaminosæ cum Sanctitate veneranda, splendida.

XXVI.

XXVI.

Commoda fructus & Effecta Immunitatis ex constitutione Honorii & Theodosii sunt denegatio abductionis, cui consonat Theodosii & Valentiniani dispositio, quæ cavet, ne in extrahendos confugas conetur quisquam sacrilegas immittere manus.

XXVII.

Secundum Pontificias verò constitutiones primum commodum est omnibus commune, non posse in Ecclesia Locove confugii capi, carcerari, arctari, certo intra Ecclesias Loco, vinciri funibus, Catenis, compedibus, propter ullam earum Causarum, propter quas ad Ecclesiam confugerunt. Secundum est non posse Refugas in Loco quem occuparunt obsideri, nec prohiberi quo minus ad eos alimenta vestimenta & cætera quæ ad sustentationem pertinentia deferantur. Tertium non posse neque de Ecclesia expelli à clericis, neque per vim, dolum aut fraudem extrahi à mini-

ministris & satellitibus curiæ secularis. Quartum est quod omnia Bona non tantùm illa quæ intulerunt in Ecclesiam confugiendo, sed & alia quæcunque sive mobilia sive immobilia sint tuta. Quintum est remissio omnis pœnæ moderata, quam intentarunt Magistri Discipulis vel artium liberalium vel illiberalium. Sextum est Reum Criminum Capitalium servare ita, ut damnari non debeat ad mortem vel ad pœnam. Septimum est restitutio confugarum, si abstracti fuerint ab Ecclesia. Octavum est perpetua Ecclesiæ protectio, ut pro delicto nunquam possit puniri. Nonum est discussio & judicium Episcopi, qui clementiùs judicare solet. Decimum denique est necessariorum ad vitam subministratio & sustentatio.

XXVIII.

Primum repugnat, non diffitentibus Pontificiis, priscæ consuetudini, ex qua confugæ, cùm primùm ad Ecclesiã pervenissent, vinciebantur compedibus, aut sub

ſub tuta conſervabantur cuſtodia, donec cognoſceretur, num ad immunitatem admittendi forent, ne Judices eluderentur. Alterum præjudicat Summæ poteſtati Politicæ, quæ etiam hoc modo medioque uti poteſt, ut extrahatur facinoroſus & juſtitia triumphet. Tertium præciſa vi, dolo, & fraude adverſatur Legi divinæ *Exodi 21. verſ. 14. Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum & per inſidias, ab Altari meo amoveto eum, ut moriatur.* Quartum dominio Imperatoris vel principum ſecularium derogat, & manus jubet injicere non ſcelerato ſed uncto Domini, ne ad Scopum ſuum pertingat. Quintum præceptum Divinum & reverentiam debitam parentibus & Magiſtris in vilipendium ducit. Sextum facinoribus patrocinatur contra voluntatem Divinam. Octavum Eccleſiam in Umbraculum Nequitiæ convertit & juri Civili inſultat. Nonum Epiſcopo tribuit judicare contra Qualitatem facti, & facit

judi-

judicem illum, qui ſub judice, cujus non eſt tractare Civilia vel Criminalia, ſed paſcere verbo, diſpenſare Sacramenta, Eccleſiæ intendere, ut omnia in illa fiant decenter & ordinatè. Decimum fovet nebulones & alimenta ſubminiſtrat vitiis, Eleemoſynas convertit in pabula otioſorum & pulvillos ignaviæ ſubſternit, imò ſceleratis.

XXIX.

Eminentiam Immunitatis Eccleſiaſticæ & differentiam ab aliis Pontificii in ſequentibus ponunt. *Primò* quidem volunt præſtare, quod habeatur jure ſcripto conſtituta, declarata & quoad omnia expoſita Immunitas Eccleſiarum N. T. quòd defuerit tàm Aſylis Gentium quàm Templo Judæorum.

***Secundò* jure Canonico & Civili eſſe illam inſtitutam ad honorem DEI & Sacrorum, nec non religioſorum locorum reverentiam: Gentes verò ad temporales fines ſua Aſyla ordinaſſe. Templum Hebræorum autem & Tabernaculum**

lum quidem similem finem habuisse sed imperfectiorem.

Tertiò, præstare objecto cultus; cùm immunitas hodierna respiciat cultum veri DEI & verbi incarnati, cujus corpus in Ecclesia, sacramentaliter præsens perpetuò asservatur, gentilium autem DEOS fuisse dæmonia, Judæos omninò non respexisse Christum filium naturalem & consubstantialem DEO, nec tàm veneranda Sacramenta & sacrificia in templo suo habuisse.

Quartò, præstare multitudine templorum, quibus immunitas concessa, adeò, ut nullum sit oppidulum vel pagus, in quo non aliquot conspiciantur, latè etiam sese porrigere illam immunitatem; Judæos autem habuisse tantùm tabernaculum & templum, nec gentiles tot abundâsse.

Quintò, præstare casuum quorundam exceptione; Judæorum templum tantùm casualibus homicidiis patuisse; asyla gentium omnibus sceleratis, nec non liberatione

ratione non quidem ab omni pœna, sed à morte & mutilatione tamen.

Sextò, præstare Zelo religionis Catholicæ, cùm Judæorum etiam profuerint refugis gentilibus, & gentilium quoscunque citra discrimen sectæ ac Religionis homines admiserint. Denique præstare nomine gravissimarum pœnarum in transgressores tam temporalium quàm spiritualium, quibus Asylia munita non fuerit.

XXX.

At hæc neque commendant, neque universaliter vera sunt; I. enim etiam Judæorum Asyla gaudebant jure scripto & quidem divino, longè eminentiori constitutionibus Imperatorum Romanis, vel Pontificum Antichristianis. videantur loca suprà exposita *Num. 35. Dev. 4. & 19.* nec non *Josua 20*; nec obiter tantùm Asylorum illa conditio fuit exposita locis allegatis, sed distinctè, & secundum omnes circumstantias scitu necessarias, Gentium verò A-

syla universaliter caruisse jure scripto audacter quoque dicitur, nullo indicio solidè probatur. Hoc quidem largimur, non posse jus Scriptum produci pro Asylia Templi Hierosolymitani: sed id ideò est, quia templum illud fingitur habuisse hoc jus, de quo in Scriptura nullum judicium, determinante Deo loca cis Jordanensia & transjordanensia receptui confugarum nõ templũ.

II. Nihil dicitur, cùm moderna Asyla in reverentiam DEI constituta dicuntur; partim, quia non in reverentiam Dei vergit illa prohibitio aditus ad sceleratos in Ecclesiis latitantes, nec Deo ejus conspectui & curæ, ut & Sanctorũ committuntur, qui ad templa se conferunt sorditati facinoribus; & potius, si obtineret illa cura, removendi ab oculis divinis, nec Ecclesia materialis Sponsa Christi, quæ mansuetudini sponsi sui debeat sese conformare; nec mansuetudinis sed intempestivæ indulgentiæ est, non pati extrahi ad pœnam corporalem, cui

cui ex lege justitiæ illa debetur: cùm malum ex Israele tolli debeat, ne pars sincera trahatur; partim, quia etiam gentiles in aperiendis suis asylis eò respexerunt, licet in applicatione errârint, dum in reverentiam Deastrorum retulerunt, quos ibi existere confixerant: &, ut illa habuerunt temporales fines, & ad illos fuerunt præter hunc ordinata: ita quoq; Ecclesiarum immunitas istiusmodi abundat, ut vel ex supra dictis de fructibus & commodis immunitatis hujus constare potest; partim, quia Hebræorum immunitas in tabernaculo & templo nondum est evicta, &, si probaretur, nondum ostensum esset, similem nostro finem fuisse imperfectiorem.

Tertiò, falsum est objecto cultus præstare nostra Asyla. Nam I. Asyla quà talia non habent respectum ad cultum divinum, sed ad conservationem proximi cæde aliqua infelicis & commiseratione digni 2. etiam in Veteri templo fuit respectus non quidem in immunitate,

 sed

ſed exercitiis ſpiritualibus habitus ad DEUM & Chriſtum filium naturalem & conſubſtantialem DEO. num enim coluerunt Judæi DEUM ἀόρισον, aut Patrem excluſo Filio & Spiritu Sancto, adeoque non verum DEUM, ſed idolum mentis? num non habuerunt ex revelatione divina notitiam Trinitatis? num non agnoverunt Meſſiam, qui Deus & homo, DEI Filium expleto tempore incarnandum; ſanè qui non colit, non honorat Filium, neque Patrem honorat, teſte Chriſto *Joh. 5. verſ. 23.* Videant itaque, qui negant, Filium DEI naturalem & conſubſtantialem non fuiſſe objectum cultus divini in V. T. num non ita pios fideles ſub illa œconomia transforment in pecudes, imò in atheos, quales deſcribuntur *Eph. 2. verſ. 12.*

3. Quod de corpore Chriſti ſacramentaliter præſenti perpetuò affirmato & honorato dicitur, ſapit Pontificiam hypotheſin de transſubſtantiatione & laudabili aſſervatione, quæ prodigioſa &

à ſenſu

à sensu scripturarum atque Ecclesiæ antiquæ planè aliena. Quintum, Categoria potius, quàm Apologia indecens est illa Ecclesiarum multitudo, cui immunitatis privilegia adhærent, in qua verè dici potest illud *Jeremiæ Cap. 11. v. 13. Pro numero Civitatum tuarum sunt Dii tui ô Jehuda & pro numero platearum Jerusolymorum disposuistis altaria indedecus, altaria ad suffitum faciendũ Bahali.* Indecens est illa extensio privilegii ad amplissima spatia monastica, cœmiteria, hospitalia; indecens est illa hortorum platearum & domorũ immunitas, quæ crescit cottidiè in papatu in fomentum nequitiæ & scelerum; 5. Moderatio illa pontificũ casuum quorundam exceptione, neque rationabilis est; nec quicquam facit ad præeminentiam asylorum in Christianismo. non rationabilis est, quia excipit tantùm latrones publicos viarumque grassatores, qui itinera frequentat vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediun-

diuntur, atque depopulatores agrorum, at quantum adhuc agmen ſceleratorum, cui ita licentia fit adeundi Eccleſias, latitandi in illis, & fori juſtitiam elidendi; non facit ad præeminentiam aſylorum, cum ſummè ſcandaloſa ſit illa non tam moderatio, quàm effrenis licentiæ conceſſio. *Secundò* Aſyla etiam gentilium non liberabant reos, ſi quid deliquiſſent, ſi univerſaliter hoc intelligatur; non tantùm, quia quædam aliis deſtinabantur uſibus, ſed etiam, quia contrarium conſtat. Non enim Caſſium Brutum Palladis auxiliaris templum defendit, ad quod confugerat, ſed ab ipſo Patre occluſis foribus fame fuit necatus. *Tertiò* optandum eſſet, ut Aſylorum jus reformaretur ad ideam juris divini & Aſyla iis tantùm paterent, qui ex homicidio caſuali infelices vel culpoſo miſerabiles, & cùm moderatio Pontificum ulterius progrediatur, liquet quantum attendant ad ſcripturam, quæ lucerna pedibus noſtris & lumen ſemitis

tis eſſe debet, maximè in tam gravi & momentoſo de ſanguine hominis negotio; dumque à pœna pecuniaria non liberent Eccleſiæ eo ipſo difformitatem ſuam ad Aſyla Hebræorum & αἰσχροκερδίαν luculenter denudant. Sextò Zelus ille religionis, ut omnia ferè in regno illo umbrarum, cœcus eſt. Si enim Aſyla Hebræorum etiam receperunt gentiles, quod in quantum admittendum ſuprà oſtendimus: poſſunt Chriſtianorum patere diverſæ religionis hominibus, imò gentilibus, poſitò, quod tales permitterentur inter eos habitare. Aſyla enim ſunt aliquid politicæ diſpoſitionis, & cavent caſui, ex quo periculo ſubjicitur, qui occidit, nec Priſca inter Chriſtianos Aſyla excluſerunt ſimpliciter à Religione Chriſtiana extraneos. *Secundò*, dum Aſyla Pontificiorum excludunt Judæos, gentiles, Apoſtatas, hæreticos Schiſmaticos complent illa iis, qui Pontificiæ Religioni ſubſcribunt, & facinoroſis plus favere deprehen-

henduntur quàm erroneis, qui quãdoq; hæretici ſunt, ſed neſciunt ſe eſſe. Tales, ut Salvianus loquitur, quandoque non hæretici ſunt, ſed habentur illis, qui quicquid culinam Pontificis non redolet, nauſeant & rejiciunt. *Tertiò* ita ſe commendat filiis ſuis Eccleſia tanquam benigna mater, ut Eli filiis ſuis Hophni & Pheneæ *1. Sam. 2.* dum plus indulget illis, quàm Judæis, Gentilib. Apoſtatis, hæreticis, Schismaticis, quos tamen omnes inter exverras & retrimenta refert.

Septimum partim commune eſt, partim injuſtum, utpotè connivens ad illa, quæ munimento Aſylorum vallantur, furens verò in illa, quæ extra hæc ſepta; partim omnipotentiæ Papali ſubſerviens, qui pro arbitrio loca immunitate quadam & privilegiis munit, & quantũ poſſit. oſtendat, & excipit quos vult, ut poteſtati ſeculare relinquat.

XXXI.

Liquet ex diſputatis quanti abuſus irre-

irrepserint etiam hac in parte & adhuc regnent in regno tenebrarum, ut quibus dextra mamilla salit, non potuerit non improbare illam impietatem. Graviter in illos detonavit Andreas Masius Vir doctissimus ita scribens: *Posteritas partim gloriæ cupidine atque superbâ arrogantiâ, ut suam ipsa majestatem amplificaret; alii imprudente religionis opinione, jus τ̃ ἀσυλίας, apud statuas, apud quævis templa, aut ipsa etiam cœmiteria, apud Episcopos, & nescio ubi non, constituerunt. Et haberent quidem fortassis ista tam frequentia Asyla majoris misericordiæ speciem, si innoxiorum hominum salutis gratiâ instituta essent. Verum, quod homines cuivis flagitio obnoxios, imò omnibus sceleribus coopertos tutentur, id mihi certè videtur longè indignissimum esse; & Romuli instituto, quam DEI legibus istis, magis consentaneum. Sed publicos latrones, & nocturnos depopulatores agrorum excipit Innocentius scilicet, ut alius nemo, quantumvis*

vis sceleratus, qui modò ad passim obvia Asyla confugerit, noxæ dedi possit, sed quamvis grave & impium scelus admisit, impunitatem, corpore saltem, habeat. Parùm clementer scilicet dictum à Deo est: Si quis studio occidit proximum suum, ab altari meo avelles eum, ut moriatur. Melior certè in Republ. ut nunc morati homines sunt; sanctio Justiniani est; quâ sceleratos homicidas, adulteros, virginum raptores, ab Asylis abstrahendos, suppliciisque afficiendos censet. Quis enim æquo animo ferat, Deum ipsum, homicidii quo nullum facinus magis detestatur, patronum defensoremque statui? aut principes quorum munus erat, facinorosos meritis pœnis coercere, facinorosorum receptatores protectoresque esse? Certè res ipsa clamat, indulgentiores istos legumlatores, dum clementiæ laudem ex scelerum impunitate affectaverunt, optimos quosque atque innocentissimos homines, maleficorum libidini exposuisse, cum nulla sit peccandi

candi illecebra major, quàm impunitatis spes. Et ante ipsum Johann. Petrus de Ferrariis Papiensis Jurisconsultus: *Ego dico salva reverentia in prax. tit. 52. n. 47. quod hæc jura facta sunt sine ratione & ad beneplacitum, imò & contra jus divinum. Si enim DEUS noluit tolerare ementes & vendentes in Ecclesiâ, sed eos ejecit, quantò magis non vult receptari in ejus Ecclesiâ latrones & homicidas & similes &c.* quæ verba Don Gaspar de Quiroga Romanæ Ecclesiæ Cardinalis ut iniqua Pontificiæ causæ sacrilega manu expunxit. Ita enim factum recenset Siculus Scriptor pag. 143.

§. 13. *Optimo consilio Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Don Gaspar à Quiroga Archiepiscopus* Toletanus *sancta Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Generalis in regnis Hispaniarum Inquisitor contra hæreticam pravitatem in indice expurgatorio librorum nuper edito, de consilio supremi Senatus S. Generalis Inquisitoris anno 1583. inter alia multa,*

quæ

quæ de eadem practica dicti Joh. Petri de Ferrariis expuncta sunt, hoc quoque quod hoc loco retulimus, tanquam fidei catholicæ contrarium expungi jussit ab illis verbis: Ego dico, salva reverentia, usque ad versiculum: Amplius quæritur. Id ideò à me hoc loco dictum sit, ut & catholici omnes huic sacræ inquisitionis generalis censuræ tam piæ, ac justæ acquiescamus, & si fortè is locus in nostris exemplaribus non sit deletus, illum statim deleamus, sanctæque Rom. Ecclesiæ libentissimis animis in hac ipsa Ecclesiarum immunitate pareamus. Et ante hunc Jurisconsultum quoque B. Augustinus displicentiam suam publicè contestatus fuit Romulum reprehendens, quod ut novam urbem augeret omnibus sceleratis Asylum concessum libr. de consensu Evangelistarum cap. 22. unde etiam Juvenalis Satyra octava:

Et tamen ut longè repetas longeque revolvas
Nomen, ab infami gentem deducis Asylo

Majo-

Majorum primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut Paſtor fuit, aut illud, quod dicere nolo.

XXXII.

Liquet, quid ſentiendum de diſcurſu Nicolai Serarii, qui miſcens diſtinguenda, ut eò magis poſſet offundere atramentum, ita diſputavit: num apud Iſraelitas & Chriſtianos rectè inſtituta id genus Aſyla. cùm toto cœlo differant Aſyla Hebræorum & Papanorum, nec de prioribus debeat moveri quæſtio; cum voluntas divina ſit in medio, quæ non niſi recta ordinat & diſponit.

In Affirmativam autem deſcendit rationibus generalibus & particularibus. *Prioris generis eſt*, inquit, *quod iſto modo magnus Numini videatur honos deferri. Primò, Quia ſumma ejus monſtratur majeſtas, dum ejus loca & domus adeò habentur ſacroſancta, ut etiamſi hominibus illatum detrimentum ſit, & vel privatum*

vatum vel publicum bonum pœnas exigat, ob illius tamen reverentiam securius in illis quispiam sit, cum illinc extrahere, ibi violare aut attingere audeat nemo. Secundò, Prædicatur ejusdem misericordia & benignitas, quòd eos, qui ad ipsum sese receperint, in ejus se tutelam dederint, ita complectatur, ut nocere ipsis nemo possit. Tertiò, Debita ipsi à nobis veneratio significatur, dum in ejus gratiam, & ob ejus nomen, eos salvos & incolumes patimur, quos alioqui è medio tollere, suppliciisque forsan exquisitis mactare fas foret. Quartò, Gloria ejus & amplitudo celebratur, dum ejus nomine inanimis etiam aris, ædibus & locis ea sit reverentia, ut qui suam iis salutem commiserint, iis à nemine, quamvis justa fortassis causa esset; neque potentia deesset, lædantur. Quintò, Consulitur multorum innocentiæ, injicitur quoddam veluti frenum incitatæ quorundam iracundiæ ac furori: tempus & ei qui fugit; pœnitentia; & aliis qui

cum

eum insequuntur, & ad mortem deposcunt; maturioris consilij, atque moderationis conceditur. Sextò, Magis quædam & splendida de divinis reb. conciliatur hominum multitudini opinio, dum vident in aris, templis, & religiosis ædificiis tantum esse miseris mortalibus opis ac præsidii. Particulares verò rationes videntur esse hæ. *1. Permissum Judæis erat, ut percussoribus, ubicunque ante & post judicialem de ipsorum innocentia sententiam, mortem inferre possent vindices. Æquum igitur aliqua iis loca, in quibus tuti saltem tum forent, concedi. 2. Apud Christianos nulla quidem, neque ante neque post Judicum sententiam, permissio ejusmodi est: attamen ut quorundam quandoque dum, quos scelerosos putant, insectantur, ardentior animus, furentiorque ira coerceatur, sitque insigne ad publicum Christianæ lenitatis ac moderationis documentum, asyla bene instituta sunt. 3. Israelitas dedecuisset olim, & Christianos dedecet plus*

plus à Gentilibus honoris falsissimis Diis, nonnullisque interdum mortalibus Principibus adhiberi quàm ab illis vero summoque DEO. At suos illos Deos, & homunciones etiam, principes nonnullos asylorum immunitate coluerunt maximoperè Gentiles, ut ostendit apud Æmilium Probum, & Xenophontem Agesilaus: Euripides in supplicibus, Virgilius Æneid. 1. & 6. Parthenius in Erotem. cap. 9. Testis de templo & ara Ephesiæ Dianæ Cicero in Verrem, Justinus libro 28. Strabo libr. 14. de Veneris templo. Plautus in Rudente Act. 3. Sc. 3. Mostellaria Act. 5. sc. 1. de ara misericordiæ Pausanias libr. 1. in Atticis. Theophylus in Paraphrasi institutionum. §. 1. de justit. & jure. Statius Thebaidos libro 12.

Urbe fuit media nulli concessa potentum
Ara Deûm, mitis posuit clementia sedem.

De Thebes templo Pausanias in Corinthiacis;

thiacis; de Minerva, idem in Atticis & Laconicis & de palladis Chalcioeca ibidem, Et Diodorus lib. 2. de Apollinis Delii Livius, lib. 36. de Jovis, Strabo l. 12. de Herculis, Herodotus libro 2. de Neptuni, Pausanias in Achaicis. Sic & castrorum signa fuere asyla: Planco, inquit lib. 1. Tacitus, maximè, quem dignitas fuga impediverat, neque aliud periclitanti subsidium, quam castra primæ legionis. Illic signa & aquilam amplexus religione se tutabatur. sic flaminis Dialis domus apud Gellium lib. 10. c. 15, sic Principum statuæ, apud Philostratum, & Ulpianum ex Labeone in l. quid sit fugitivus de ædil. edict. in Pandectarum titulo de iis, qui ad statuas confugerint. Videri queat cum Tiraquello Alexander ab Alex. lib. 3. cap. 20. Sanè D. Augustinus ex eo Dei, Christique gloriam, etiam apud Gentiles maximè illustrari scribit, quod à Barbaris Gothis, captâ Româ, in Christianorum templis sarti tecti fuerint, quotquot ad ea sese contulissent.

lissent. Romulus & Remus, inquit lib. 1. de civitat. DEI, cap. 34. Asylum constituisse perhibentur, quo quisquis confugeret ab omni noxa liber esset augere quærentes creandæ multitudinem civitatis. Mirandum in honorem Christi præcessit exemplum. Hoc constituerunt eversores urbis, quod constituerunt antea conditores. Quid autem magnum si fecerunt illi, ut civium suorum numerus suppleretur, quod fecerunt isti ut suorum hostium numerositas servaretur? Et cap. 1. Martyrum loca, & basilicæ Apostolorum in illa vastatione urbis ad se confugientes suos, alienosque receperunt. Hucusque cruentus saviebat inimicus: ibi accipiebat limitem trucidatoris furor; illò ducebantur à miserantibus hostibus, quibus etiam extra ipsa loca pepercerant, ne in eos incurrerent, qui similem misericordiam non habebant. Qui tamen ipsi, etiam alibi truces, atque hostili more sævientes posteaquam ad loca illa veniebant, ubi fuerat interdictum,

ctum, quod alibi jure belli, licuisset, tota feriendi refrenabatur immunitas, & captivandi cupiditas frangebatur. Et verò ut nulla esset alia utilitas hæc sanè perinsignis est, per asylorum istiusmodi religionem in bellis cohiberi, si non omninò semper, plurimum tamen ac sæpissimè retundi hostium mucrones: bacchantesque in cæde ac sanguine alibi dextras hic mitescere, ac veluti fractas ac debellatas elanguescere. Sed nostrum siquidem fert animus; consule Azorium libro 8. Moralium Instit. cap. 9. part. 2.

XXXIII.

Quàm debilia hæc sint, cuivis sane constat; *Primò* enim Majestas Divina non reverenter habetur, quæ ignis consumens sceleratos, mandat avelli facinorosos, justitiæ patrocinatur, nec vult magistratum frustrà gerere gladium. Rom. 13. non deprædicatur *secundò* Benignitas. Neque enim Benignitas est improbos tueri, sed remittere peccata poeni-

pœnitentibus, & de cætero relinquere facinorosum judicio politico. *Tertiò* nulla est veneratio, si in ejus gratiam salvos patimur, quos mactare fas est, victima enim justitiæ vendicatricis grata DEO. Notum est, quid dictum olim Achabo 1. *Reg.* 20. *v.* 42. *Quartò* Gloria DEI celebranda est ad revelatam voluntatem non ex nostro ingenio. *Quintò* consulitur quidem innocentiæ dextra constitutione conformium Asylorum illis, quæ DEUS munivit privilegio, sed in Papatu etiam consulitur malitiæ & sceleribus privilegiorum extensione. *Sextò* non concilianda est opinio hominum multitudini de rebus divinis ex conquisitis coloribus κατ' ἔμφασιν, sufficit verbum, quod instruere potens, & utile est ad omnia illa, quæ ad perfectionem Christianismi pertinet 2. *Timoth.* 3.

XXXIV.

Liquet tandem, quid de reprehensione Masii cordata sit sentiendum, dum

cau-

causantur parùm prudenter & cautè locutum, quod Asylorum omnes institutores temerè satis judicat, quasi vel solam gloriæ cupidine vel religionis opinionem præ oculis habuerint; *secundò*, quod imprudentem religionis opinionem vocet, quæ prudentissima; *tertiò*, quod neget innoxiorum etiam hominum salutis gratiâ instituta esse; *quartò*, quod Innocentium. III. tam sinistrè interpretetur & carpat, quasi præter duo sceleratorum genera sceleratum nullum alium noxæ dedi velit; *quintò*, quod ita scelerum imparitatem exaggeret, quasi ea per Christianorum Asyla omninò statuatur, cùm tamen iis ea tantùm sit, qui in Asylis versantur, & quam diu versantur: quòd etiam pœna quædam sit licet mitior; *sextò*, quòd dum alia & aliter statuunt Asyla, quàm instituit Dominus malam in partem interpretetur, quasi minoris clementiæ arguatur DEUS, quàm conditores Asylorum; *septimò*, quod DEUM & Principes dicat

ab

ab Asylarchis constitui vel homicidii vel scelerum aliorum patronos & protectores; *Octavò*, quod quæ quorundam hominum vitia & abusus sunt, ea in Asyla eorumque religionem perperam & pravè convertat; *Nonò*, quod politicam Justiniani sanctionem canonicis sanctionibus meliorem videatur affirmare.

XXXV.

At tela hæc maximam partem obtusa sunt, nec feriunt. Nam *primò* loquitur Masius de Asylis apud quævis templa, apud ipsa etiam cœmiteria apud Episcopos & nescio ubi non constitutis, quis autem non videt talia non ex religione verbo adstricta quam imprudente religionis opinione fuisse profecta; *Secundò*, quantis rationibus & quibus hæc opinio subnixa, in antecedentibus ostensum est; *tertiò*, non negat Masius innocentibus etiam subservire Asyla, sed carpit, quòd ad sceleratos fuerit extensa, nec Innocentius excepit facinorosos

rosos extra trigam illam designatam, & quousque pateant illa Asyla, supra ostensum ex moralium Doctoribus; *Quartò*, utique scelerum impuritas stabilitur, si nebulones recipiantur & eo ipsi, quo tuti sunt tales qui in Asylis, & quousque versantur, nequitiæ latibula esse agnoscuntur, licet non nisi ad terminum præfixum, nec pœna est versari in templo aut monasterio aut palatio Cardinalis congrua facinori grandi, sed patrocinium tutela defensio; *Quintò*, rectè arguit majoris Clemētiæ indicia in Asylis Pontificiis, quam Hebræorum. DEUS enim voluit consulere innocentiæ & clementem se exhibere infelici: atqui â DEO hîc recedunt, clementiam quoque exhibent sceleratis, indulgent nebulonibus; *Septimò*, quidni per consequentiā DEUS & Principes instituantur scelerū patroni, cum in DEUM & Principes referant Asyla Christianorum, atq; illa sint speluncæ facinorosorū teste veritatis meridie, experientia; *Nonò*, nō abusus

ſus ſunt hominum aut vitia quædam privata, in quæ declamitat Maſius, ſed ex Conſtitutionibus Pontificum deducta poriſmata. Ipſæ enim Pontificum conſtitutiones laxant fores ſceleratis & recipiunt dignos ſupplicio; deniq; ſanctionem politicam Juſtiniani canonicis Sanctioribus meliorem eſſe ipſa collario ducet. Ita enim Imperator: *non eſt Aſyli locus adulteris, virginum raptoribus, prædonibus & homicdiis.* Et in authentica titulo de mandatis Principum. §. *Quod ſi delinquentes*, hæc cedro digna leguntur: *Aſyla ad tuendos innocentes legibus conſtituta eſſe, non ut nocentes defendant.*

Ne

Ne pagellæ vacarent visum est addere

Bullam

GREGORII PP. XIV.

De immunitate Ecclesiarum.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

CUm aliàs nonnulli prædecessores nostri, & præsertim felicis recordationis Sixtus PP. V. nec non Pius etiam V. sancto zelo ducti, diversas facultates & indulta extrahendi, etiam in casibus quibusdam à jure non permissis ex Ecclesiis criminosos, & delinquentes compluribus secularibus Principibus, eorumque curiis & magistratibus sub variis modis, & formis concesserint, prout in illis plenius continetur; experientia postmodum docuit tum ob diversitatem & diffe-

differentiam hujusmodi indultorum, tum quia plerique eorundem Principum ministri ex hoc ipso illa diversimodè & latius, quàm par erat, ad suum libitum interpretandi occasionem arripuerint, illisque abuti cœperint, subortam esse non mediocrem in aliquibus locis libertatis & immunitatis Ecclesiasticæ perturbationem, & confusionem. Alibi verò ne ipsos quidem laicos indultis hujusmodi uti voluisse, aut potuisse, quòd populis inveterata erga Ecclesiæ reverentiam devotis, & assuetis scandali potius, quàm quietis occasionem præberent. Illud etiam absurdum sæpenumero sequutum est, ut infimæ interdum conditionis laici non modò juris, sed etiam literarum penitus ignari, & imperiti dum quasi potestates, aut ministri curiæ secularis in aliquo castro, aut oppidulo jurisdictionem exercebant, facultatum, & indultorum hujusmodi limites longè excesserint, eaque suo arbitratu in sensus minus rectos, & ab inten-

tentione concedentis omnino alienos detorserint, & illorum prætextu quicquid sibi in mentem venit, attentare præsumpserint, in grave jurisdictionis ecclesiasticæ præjudicium, locorum, & personarum divino cultui dicatarum contemptum ipsius divinæ majestatis offensam, & scandalum plurimorum. Quare pro commisso nobis à Domino pastoralis officii munere prædictis absurdis, & scandalis obviare, ac differentias hujusmodi ad uniformem regulam reducere, omnemque dubitandi, ac perperam interpretandi occasionem dilucida declaratione submovere, abusus tollere, & ne ecclesiastica jura planè conculcentur, & negligantur; opportunè providere decrevimus, prout etiam dictus Sixtus prædecessor noster iisdem de causis motus statuere decreverat; licet morte præventus hoc adimplere nequiverit: ita tamen ut quando præsertim temporum calamitas, & nimia, quæ jam invaluit, perverso-

rum hominum malitia id exposcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium, & ad coercenda illorum facinora, ultra id quod prisca illa majorum disciplina, & vetus sacrorum canonum norma præscripserat, in quibusdam casibus congrua moderatione adhibita permittamus. Hac itaque nostra perpetuò valitura constitutione omnia & quæcunque privilegia, indulta, & gratias, tam per prædictum Sixtum, ac Pium quintum, quam alios quoscunque prædecessores nostros, aut nosmetipsos, Sedemque Apostolicam, ejusve legatos super abducendis vel extrahendis ab Ecclesiis, monasteriis, sacellis, domibus regularibus, secularibus, locis sacris, aut religiosis, aliàs quàm in casibus à jure expressis, hominibus certorum tunc expressorum, vel non expressorum criminum reis, aut fraudulentis decoctoribus, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono, pace, & quiete publica, & ex causis urgentissimis, ac necessariis & æquipollentibus

casi-

casibus in jure expressis, atque ex paritate, identitate, aut majoritate rationis extensis, perpetuò vel ad certum nondum elapsum tempus, seu ad vitam alicujus Principis, aut beneplacitum, seu aliàs quomodolibet concessa; etiam iteratis, aut multiplicatis vicibus approbata, & innovata, ac usu recepta; litteras Apostolicas sub plumbo, in forma brevis, seu aliàs quomodocunque desuper confectas, quarum tenores hîc haberi volumus pro expressis, ac ad verbum insertis, sublata penitus omni differentia, ita ad unam tantùm formam reducimus ac moderamur. Ut laicis ad Ecclesias locaque sacra & religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumq; grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum. Quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve cœmeteriis committere non verentur, aut

aut qui proditoriè proximum suum occiderit- aut assassini, vel hæresis, aut læsæ majestatis in personam Principis rei immunitas ecclisiastica non suffragatur. Sed universis, & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum, & monasteriorum prælatis tam sæcularibus, quàm cujusvis ordinis regularibus districtè præcipiendo mandamus, ac præcipimus, ut laicos in casibus prædictis delinquentes ad eorum Ecclesias, monasteria, domos & alia loca supradicta sacra, seu religiosa respectivè confugientes, & eis se recipientes, atque morantes, qui prædicta delicta, eorum ve aliquod judicio suo commisisse videbuntur, quando à curia seculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus, ministris, & officialibus curiæ secularis absque irregularitatis nota, aut alicujus censuræ ecclesiasticæ incursu tradi, & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet,

& fa-

& faciat. Ne autem secularis curiæ prædictæ ministri facultate illos per se, & propria authoritate extrahendi, nisi olim, ut præfertur, attributa, & per præsentes revocata abutantur: volumus dictaque authoritate decernimus, & declaramus ut curia secularis, ejusque judices, & officiales ab Ecclesiis, monasteriis locisque sacris prædictis laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem, in nullo ex casibus supradictis, sine expressa licentia Episcopi, vel ejus officialis, & cum interventu personæ ecclesiasticæ ab eo authoritatem habentis, ad quos solos, & non alios Episcopis inferiores, etiamsi aliàs ordinarii sint, aut nullius diœcesis aut conservatores ab hac sede specialiter, vel generaliter deputati prædictam licentiam dandi facultas pertineat; occurrente autem casu in loco exempto, & nullius diœcesis, tunc ad Episcopum viciniorem devolvatur hæc cognitio, & non ad alios; capere, extrahere, aut carcerare non possint, nisi eo casu,

Episcopus & dictæ personæ ecclesiasticæ requisita, illos in delictis superiùs expressis culpabiles, tradere, aut capturæ carcerationi intercesse, & assistere recusarent. Tuncque reverentiæ Ecclesiæ & locis sacris debitæ memores, prædictos delinquentes minori quo id fieri poterit cum scandalo & tumultu extrahere curent. Quodque delinquentes laici prædicti, postquam, vt præfertur, ab Ecclesiis locisve sacris extracti, & capti fuerint, ad carceris curiæ ecclesiasticæ reponi, & inibi sub tuto ac firmo carcere, ac opportuna custodia data illis, si opus fuerit, per curiam secularem detineri debeant, nec inde extrahi, curiaque seculari prædictæ consignari, nec tradi possint, nisi cognito priùs per Episcopum, sed ab eo deputatum, an ipsi verè crimina superius expressa commiserint. Tuncque demum de mandato Episcopi per judicem ecclesiasticum curiæ seculari quacunque appellatione postposita, consignentur. De crimine verò hæresis co-

sis co-

ſis cognitio ad forum eccleſiaſticum tota pertineat, neque in ea curia ſecularis ſe quoquo modo intromittat. Sicuti etiam prohibemus ne contra eccleſiaſticas perſonas ſeculares, aut cujuſuis ordinis, vel militiæ, etiam S. Jo. Hieroſolymitani regulares quoquomodo, etiam vigore prædictorum privilegiorum, indultorum, aut conceſſionum, quæ omnia ad terminos juris per præſentes reducimus, procedant, aut ſe intromittant, illasve ab Eccleſiis, monaſteriis, domibus locisque ſacris, aut religioſis, etiam in caſibus hac conſtitutione expreſſis extrahere abducere, capere, carcerere, aut cognoſcere de criminibus ad forum eccleſiaſticum pertinentibus aliàs, quàm de jure & per privilegia eisdem ordinibus ac militiis conceſſa permittitur, quomodolibet præſumant. Quòd ſi quis quacunque dignitate & authoritate præditus præmiſſorum, aut alio quovis prætextu quicquam præter, aut contra hujus noſtræ conſtitutionis tenorem attentare

præ-

præsumpserit, declaramus, eum ipso facto censuras, & pœnas easdem incurrere, quæ contra libertatis, juris, & immunitatis ecclesiasticæ violatores per sacros canones, & Conciliorum Generalium, nostrorum prædecessorum constitutiones sunt promulgatæ, sisque per quoscunque judices ordinarios, vel delegatos etiam causarum Palatii Apostolici auditores, & S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum facultate, in quavis causa & instantia judicari & definiri debere: nec non irritum decernimus, & inane, si secus super his per quoscunque quavis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis tam Sixti, Pii, quàm aliorum quorumcunque prædecessorum nostrorum litteris Apostolicis, privilegiis, indultis, facultatibus quibusuis personis, etiam imperiali, regia aut alia quavis dignitate, & authoritate fulgentibus, aut rebus publicis, dominiis, re-

gnis

gnis, provinciis, civitatibus, terris & locis, eorumve curiis. parlamentis, senatibus, conciliis, communitatibus, collegiis, aut præsidentibus, gubernatoribus, locatenentibus, variis potestatibus, aliisque magistratibus, officialibus, ministris, aut consiliariis, ex prædictis, vel aliis etiam gravioribus & urgentioribus causis, tam illorum intuitu, contemplatione, sive ad eorum preces, & instantiam, quàm & motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac perpetua, etiam in vim contractus, & fratrum nostrorum consilio, sub quibuscunque tenoribus & formis, & cum quibusuis præservativis, restitutiviis, mentis attestativis, rogatoriarum derogatoriis, aliisque validissimis, efficacissimis, insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis decretis, etiamsi inibi caveatur expreßè quod illis nisi sub certis modis & formis, & formis, & nisi de expresso eorum consensu, ad

quorum

quorum favorem concessæ fuerint, derogari possit, ac aliter facta derogationes nullius sint roboris, vel momenti, & aliàs quomodolibet concessis, etiam sæpius approbatis, & innovatis. Quæ omnia & singula ac illorum tenores pro expressis habentes, quatenus præmissis aliquo in adversentur, aut plures quàm superiùs expressos casus contineant, authoritate, & tenore præmissis omnino ac perpetuò tollimus & abrogamus, & ad terminos præsentis constitutionis quoad superiùs descripta dumtaxat reducimus, & nolumus quicquam de cætero suffragari, & qualibet alia dictæ sedis indulgentia generali, seu speciali, per quæ præsentibus non expressa, vel ad verbum non inserta effectus earum quomodolibet valeat impediri. Vt autem præsentes litteræ ad omnium notitiam faciliùs deducantur, mandamus illas in valuis S. Io. Lateranensis ac Principis Apostolorum basilicarum de urbe, nec non

can-

cancellariæ Apostolicæ de more affigi, & publicari, earum etiam exemplis inibi affixis ac dimissis. Ac post publicationem hujusmodi volumus, & decernimus, ut omnes & singulos quos concernunt, & concernent in futurum, ita arctent, & afficiant, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent. Eorundem verò præsentium transumptis, etiam impressis notarii publici manu subscriptis, eandem fidem in judicio, & extra illud, ubique gentium haberi volumus, quæ eisdem originalibus litteris haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ moderationis, præcepti, mandatorum, decretorum, reductionum, declarationum, prohibitionis, sublationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli, se noverit incursu-


rum

rum. *Datum Romæ in Monte Quirinali anno Domini 1591 nono Cal. Junij, Pontificatus nostri anno Primo.*



INDEX





INDEX RERUM PRÆCIPUARUM.

A.

Asy-

B.

C.

D.

Semi-

FINIS.

